DE PHIALIS RUBRICATIS

QUIBUS

MARTYRUM ROMANORUM SEPULCRA

DIGNOSCI DICUNTUR

OBSERVATIONES

V. D. B.

Victor M. Buck

BRUXELLIS

TYPIS ALPHONSI GREUSE

1855

DE

PHIALIS RUBRICATIS.

DE PHIALIS RUBRICATIS

QUIBUS

MARTYRUM ROMANORUM SEPULCRA

DIGNOSCI DICUNTUR

OBSERVATIONES

V. D. B. V[illegible]K

ALMA COLLEGE
270.06
LIBRARY
B85
Los Gatos, Calif.

BRUXELLIS
TYPIS ALPHONSI GREUSE
—
1855

50381

MONITUM.

Quamvis capite primo hujus opusculi causæ et ratio præsentis scriptionis aperiantur, atque illic moneatur lector hanc lucubrationem non fuisse susceptam neque typis expressam ut in omnium versaretur manibus, sed paucissima tantum exemplaria (quot fere in hoc rerum genere manu exarari solemne est) prelo excusa fuisse, cum selectis aliquot viris communicanda; hæc tamen in limine iterum proponenda visa sunt, ut hunc nemo librum præter mentem scriptoris et consilium in vulgus spargat.

DE

PHIALIS RUBRICATIS

QUIBUS

MARTYRUM ROMANORUM

SEPULCRA DIGNOSCI DICUNTUR.

CAPUT PRIMUM.

DE CAUSIS ET RATIONE HUJUS OPUSCULI.

Quum non ita pridem solemnitate maxima et incredibili populi frequentia celebrata esset Ambiani in Galliis translatio corporis sanctæ Theudosiæ seu potius Theodosiæ, quod ex cœmeteriis romanis erutum fuerat; cogitaveram brevem aliquam conficere ea de re scriptionem, quæ ephemeridibus insereretur et aliquid ad fovendam publicam pietatem conferret.

Ast ut legi quæ alii de eadem celebritate et de mar

tyris illius nomine, origine, conditione, mortis tempore et sacris reliquiis in lucem ediderant; statim intellexi multa fuisse proposita, quæ neque eruditis probari, neque a me laudari possent. Institui itaque mecum agitare quæstiones omnes quæ illuc pertinerent; quæ comperta perspectaque haberem mandare literis et gallica lingua laboris mei parare compendium.

Progrediebatur id opus sedulo, donec incidi in argumentum de signis martyrii. Præsto mihi erant ea de re opera omnium laudatissima, vetusta et nova : quæ olim quidem legeram, nunc vero expendere oportebat. Id ego quanta potui diligentia, et ea simul animi libertate, quam res historicæ postulant, facere conatus sum; cujus studii is fuit fructus ut mihi nequaquam viderentur validis pugnare armis, qui contenderent ea omnia esse martyrum sepulcra, quibus affixæ sunt phialæ, quas nunc et deinceps brevitatis gratia sepulcrales appellabo. Quin etiam dum ad trutinam revocarem illorum asserta, nonnulla inter ea reperi, quæ ejus viderentur esse generis, ut non solum contraria adversaque positio sit apprime vera, verum etiam manifesto argumento neque vasis illis martyrum sanguinem contineri, neque eis proinde significari adjacentia cadavera Christianorum esse qui pro fide sua vitam profuderint. Profecto nil tale exspectabam, quum primum hanc mihi ad scribendum destinabam materiam.

Verumtamen ab incepto opere desistere nolui : non

quidem quod opportunum arbitrarer quidpiam de ea re in publicum edere; sed quod utile mihi videretur cum eruditis probisque aliquot viris et maxime cum nonnullis antistibus illa mea qualiaqualia inventa communicare, ut si eis infirma haberentur et falsa, æterna premerentur oblivione; sin autem validis innixa rationibus, ipsi pro sua prudentia ea facienda curarent quæ ecclesiæ honore et Dei gloria postulari arbitrarentur.

Porro quum ad umbilicos pervenissem, subjeci lubens laborem qualemcumque meum censoriæ virgæ Vvirorum, qui omnes singularis in ecclesiam amoris affectu conspicui sunt, et quorum alii ingenio et sapientia, alii sagacitate et eruditionis laude præstant. Atque horum fere omnium judicia in eo convenerunt utilitatem forte non minimam ab illa mea scriptione sperandam esse, si in manus tantum veniret doctas et pias; sed rem periculo esse plenam, si idiomate gallico, quo concepta erat, exprimeretur typis, etiamsi paucissima tantum excuderentur exemplaria; quocirca id volumen vel supprimendum omnino, vel latine vertendum. Hæc illi : quibus ita consenseram, ut, quum stata et ordinaria negotia operam potius sibi vindicarent meam, mentem abjecissem omnem latine iterum scribendi quæ improbissimo labore jam semel et bis alia lingua scripseram.

Jacebant itaque inter rejectanea *Observationes* meæ *de phialis rubricatis quibus martyrum romanorum sepulcra dignosci dicuntur*, carumque oblivionem jam ceperam;

quum ecce deferuntur ad me literæ, quibus vix non juberer pulverem de chartis illis excutere eamque saltem partem quæ de phialis sepulcralibus est latinam facere: Romæ per unum ex censoribus aliquid de meo conatu innotuisse; vehementer a quibusdam illic eum desiderari; et futurum forte ut ex eo in ecclesiam redundet utilitas non spernenda. Cui flagitationi quum mihi integrum non foret deesse, quam primum licuit manum denuo operi admovi, ut officio fungerer.

Me tamen non parum impeditum fuisse fatebor, quod quibus scribendum fuerit nesciverim. Si enim viris in hoc studiorum genere versatis, plerumque satis fuerit res librosque digito demonstrasse; si vero aliis, nil fere asserendum quod suis non firmetur testimoniis. Quum tamen alterutra eligenda fuerit ratio, malui res explicare paulo fusius, quam ita studere brevitati ut ne forte ab iis intelligerer, quibus hæc mea danda esset scriptio. Atque ex his satis patet quis huic lucubrationi propositus sit scopus et finis.

At is talis quum sit, mirabitur forte non nemo scriptionem hanc typis fuisse excusam. Cujus rei non alia est causa quam quod minori impendio pauca prelis belgicis parantur exemplaria quam scriptorum manu. Quocirca unumquemque monitum velim quod hunc libellum publici juris non feci, sed cum paucissimis tantum communicatum volui, atque etiamnum volo. Et sane, si alia mea fuisset mens, omisissem omnino quæ

hoc capite explicare visum est : non enim hæc ad communes vulgaresque lectores pertinent. Hactenus de origine et causis harum Observationum.

Quas siquis præ oculis habere voluerit, me profecto nec temeritatis arguet, neque imprudentiæ. Nil enim impetu egi, aut meo judicio ausus sum; sed omnia permisi delectui et ingenio sapientissimorum virorum; quinimmo jugi ea pressissem silentio, nisi ignoti viri, quos tamen mihi constat religionis laude esse egregios, ea secum communicari efflagitassent. Censuerunt enim ipsi, quod et mea ab initio fuit sententia, multo melius esse (si in hoc negotio erratum sit) errorem detegi a viro catholico quam eumdem detegendum relinqui ecclesiæ osoribus; ut nil dicam quantum deceat res sacras non tantum ab errore, sed et a suspicione erroris esse liberas.

Porro laudes adepti sunt episcopi complures, quod falsas detexerunt et abstulerunt reliquias; laudes adepti scriptores nonnulli, quod similia errata patefecerunt et tollenda suaserunt : equidem laudes non ambio ullas; sed spero fore ut, multo minora ausus, indulgentiam saltem apud æquos bonosque judices consequar.

CAPUT SECUNDUM.

DECRETUM S. C. DE MARTYRIBUS COEMETERIALIBUS VIOLATUM NON IRI HOC OPUSCULO.

Verumtamen nequaquam mens mea est ullius violare auctoritatem aut congregationum romanarum edicta infringere. Admitto enim et ambabus ulnis amplector quidquid de decreto S. C. indulgentiarum et reliquiarum adhuc superest : quae autem nemini amplius probanda proponuntur, nemo jure postularit probari mihi.

Scilicet « cum de notis disceptaretur, ex quibus veræ » sanctorum martyrum reliquiæ a falsis et dubiis dignosci » possint; eadem S. C., re diligentius examinata, cen- » suit palmam et vas illorum sanguine tinctum pro » signis certissimis habenda esse; aliorum vero signorum

» examen in aliud tempus rejecit. Datum Romæ die » 10 aprilis 1668. »

Ab initio non omnibus placuit hæc lex; quam idcirco ita interpretari seu potius pervertere conati sunt plerique viri eruditi, ut nec palma sola, nec vas sanguineum solum martyrii habendum esset indicium, sed palma cum vase conjuncta; alii vero, quos inter plerique præclarissimi curatores sacrorum cœmeteriorum, palmam flocci fecerunt, soli vasi vim inesse secum statuentes: atque hi sane multo sincerius quam illi loquebantur; nam satis constat utrisque seorsim a S. C. eamdem fuisse attributam vim. Interea tamen reperire fuit doctos aliquot viros, qui palmam seorsam martyrii signum esse vehementer contenderent; inter quos primum subsellium occupavit Marcus Antonius Boldettius.

Edidit hic Observationes suas de cœmeteriis martyrum et veterum christianorum anno 1720 et multis causam vicisse visus est. Verum versa fortunæ rota fuit, quum anno 1741 Muratorius inter Antiquitates italicas medii ævi dissertationem LVIII excudendam curavit de christianorum veneratione erga sanctos post declinationem romani imperii; in qua ita demolitus est universum quod tantis curis exstruxerat ædificium Boldettius, ut jam lapis relictus non esset supra lapidem.

Juverit recoluisse quæ de hac controversia scripsit Benedictus XIV. Hic nempe postquam ex ipso ostendisset edicto *non palmam et vas* junctim, *sed aut palmam aut*

vas sanguine tinctum, alterutrum seorsim, indicium martyrii olim habitum fuisse sacræ congregationi, his pergit verbis (1) : « Post editum opus canonici Boldetti » et post primam hujus nostri operis editionem Murato- » rius edidit suas dissertationes ad Antiquitates italicas » medii ævi et in earum tomo V controversiam examinat » an palmæ signum tumulis christianorum adjectum » significet martyrium ac mortem, quam fortiter pro » Christi nomine veteres christiani Romæ præsertim » subiere. Hic habet pro signo indubitato martyrii vas » sanguineum aut sanguine tinctum, minime vero pal- » mam solam. Debita laude prosequitur Boldettum ; sed » ab eo recedit, et accedit ad Mabillonium, Scacchum, » Aringhium et Fabrettum, qui omnes in ea sunt opi- » nione, ut censeant ex palma sola erui non posse » signum indubitatum martyrii. Antiquas profert ethni- » corum inscriptiones, in quibus palmæ insculptæ sunt, » quas ethnicos effinxisse in sepulcris autumat, tam- » quam signum perennis memoriæ ac perpetuæ securi- » tatis, cum palma perpetuitatem ac diuturnitatem » significet. Verum quia certum est ethnicorum corpora » non fuisse in cœmeteriis christianorum una cum cor- » poribus christianorum tumulata, alias affert christia- » norum inscriptiones in catacumbis repertas ; in quibus » cum palmæ insculptæ sint, ait palmam esse justorum

(1) De Canoniz. SS., lib. IV, part. II, cap. XXVII, num. 26, edit. 1788.

» symbolum, uti docent Gregorius Magnus, Cassiodorus » et Beda; et per eas designari victoriam de vitiis repor- » tatam a justis Christum colentibus. Et quia Boldettus » octo inscriptiones exhibet, in quibus et palma visitur » et disertis verbis martyrium exprimitur; subjicit non » ideo palmam evasisse certum indicem martyrii, cum » ipsa sit omen vitæ æternæ: cujus fidem tam martyres » quam justi, immo et reliqui Christi fideles constantis- » sime tenebant; ducto exemplo a verbis *in pace* aut *in* » *pace quiescit*, quæ in titulis martyrum æque ac cete- » rorum veterum christianorum occurrunt. Cetera legi » possunt in opere citato satis accurate exposita. Quibus » etiam consonat praxis eorum, qui modo præsunt » eruendis corporibus e catacumbis; a Nobis enim inter- » rogati dixerunt se solam palmam non habere pro » sufficienti signo martyrii, sed totum fundamentum a » se constitui in vase sanguine tincto. » Potuit itaque negare Muratorius non tantum absque ullius contumelia, verum etiam cum romani pontificis approbatione, palmas, inscriptas lapidibus funebribus, martyrii esse indicia, quamquam aliter decrevisset S. C.

Ex hoc porro tempore cœmeteriorum curatores aliique abolitam censuerunt eam decreti partem, quæ est de palmis; adeo ut nunc sola illa altera, qua declaratum fuit *vasa, sanctorum martyrum sanguine tincta, pro signis certissimis martyrii habenda esse*, vim legis obtineat. Atque hanc ego constitutionem summa vene-

ratione prosequor, eamque (si me defensore egeret) quam libentissime tutarer.

Quis enim, quum *sanguine tumulus madet;* quum *apparent cruoris triumphales notæ;* quum *ossa omnia integra, sanguinis plurimum inventum est;* quum *sanguis collectus tenetur;* quis, inquam, cum sancto Ambrosio (1) ea non appellet *signa convenientia,* et cum sancto Gaudentio (2) *passionis testem?*

In his itaque, de quibus nec controversiam haberi, nec dubium esse volumus, causæ cardo nequaquam ponitur; sed id solum in quæstione versatur utrum vasa, rubedine tincta, quæ exteriori et rarius interiori sepulcrorum parti, plerumque ad verticem, calce aut gypso affixa sunt, sanguinem olim continuerint naturalem, an vero alium liquorem rubrum : et quum adversarii non vasa tantum rubicundo infecta crassamento, verum etiam ea in quibus nullius rubedinis deprehenduntur vestigia, adeoque vasorum imagines, sepulcris appictas aut insculptas, martyrii signa certissima habeant; multo adhuc magis hanc eorum assertionem vocamus in dubium.

(1) Classis I epist. XXII, num. 2, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 1019.

(2) Sermo in dedic. SS. XL martyrum, ap. Migne, Patrologia, tom. XX, col. 963.

CAPUT TERTIUM.

JAM PRIDEM GRAVISSIMOS VIROS DUBITASSE AN VASA QUÆ DICUNTUR SANGUINEA REAPSE SANGUINEM NATURALEM CONTINUERINT.

Neque ego primus his de rebus fui anxius. Imprimis multum abest ut diligentissimus Bosius, doctrinæ cœmeterialis pater, omnia vasa cornibus sepulcrorum calce adhærentia habuerit vere sanguinea. Profecto hæc omnia, in quibus nullum crassamentum rubrum invenit, negavit unquam sanguinis fuisse plena aut sanguinis figuram esse; sed aqua benedicta impleta fuisse dixit (a). Et

(a) Si ordina nelli medesimi rituali antichi, che nel monumento si ponga ancora l' acqua benedetta ed il segno della croce. Onde crediamo che quelle ampolle di vetro e quei vasetti di terra, che spesso si trovano voti dentro li sepolcri,

alibi, ubi figuras octo vasorum exhibet, ita de his disserit : « Inventa sunt etiam, inquit (2), vascula fictilia » et vitrea variæ formæ, alia collo longo et ore angusto; » alia ampla et rotunda in formam scyphi : quorum » aliquot penes nos sunt. En eorum figura :

» Quum unum ex his vasibus, quod fictile erat, dono » dedissemus nobili viro Hispano, Petro Amoragæ, mis-

e tal volta anco murati per di fuora ne' sacri cimiterii, fossero ivi posti con la detta acqua benedetta (1).

(1) Roma sotterr., lib. I, cap. XX, pag. 20.
(2) Ibid., lib. III, cap. XXIII, pag. 201.

» sum id ab eo fuit in Hispaniam ad marchionissam » de Mondejar; quæ id auro circumdandum curavit et » maxima veneratione servat, quoniam plurimi, ex eo » bibentes, a febribus liberati sunt : indicium evidens » maximam horum sepulcrorum partem aut martyrum » esse, aut confessorum aut primævæ ecclesiæ christia- » norum. » Conjecit itaque ille ex miraculis hæc vasa loco sacrarum reliquiarum habenda esse, utpote vel ad martyres, vel ad confessores, vel ad primævos sanctissimosque christianos pertinentia; nequaquam plena fuisse martyrum sanguine aut certum martyrii signum.

Quum Aringhius in eadem incidit vasa, sententiam aperuit, a Bosiana nonnihil discrepantem; sed qua pateat non omnia vasa cœmeterialia sibi habita fuisse sanguinea. « Quam plurima, inquit (1), item figlina pariter » necnon vitrea vascula, sepulcris eumdem in modum » consignata (scilicet calce parietibus affixa), ac variis » distincta formis adnotare licuit : quæ antiqua ipso- » rummet gentilium, ut vulgo dicebantur, lacrymatoria » intuentibus præ se ferre videntur, haud tamen pri- » mævos apud christianos, quod mori lucrum compu- » tabant, lacrymis reponendis, sed pio aquæ lustralis » usui, ut mos erat, et ex jam supra recensitis constat, » expiandis utique leviorum culparum maculis olim

(1) Roma subterranea, lib. III, cap. XXII, tom. I, pag. 298. Edit. Amstelodamensis.

» inserviebant apud homines videlicet, quibus animi » candor et vitæ innocentia apprime cordi erat. Ea » autem erant hujusmodi. » (Eadem quorum figuram paulo supra dedimus.) « Porro quædam istis ex vasculis » in sacramentorum quoque ministerium adhibita fuisse » et in martyrum vel piorum Christianorum sepulcris » recondita, ex eorum altero conjici datum est, quod » ipse Bosius deinde tanquam pretiosissimum quid nobili » cuidam Hispano Petro Amoragæ dono dedit. » Dein memorat sanationes, de quibus Bosius. Ex quo loco habemus nonnulla vascula rubricata visa esse Aringhio *in sacramentorum ministerium fuisse adhibita*, seu sanguine eucharistico impleta fuisse, alia vero aquam benedictam continuisse.

Et jam ante idem scriptor, de quibuscumque vasis sepulcralibus agens, easdem conjecturas aperuerat : « Verum, ait (1), quod et in vetustioribus sacrorum » ritualium libris videre est, *statutum etiam fuit*, inquit » Durantes (2), *ut in sepulcris crux et aqua lustralis* » *seu benedicta apponeretur*. Quocirca, ut nos multiplici » scriptorum auctoritate suffulti, verisimile ducimus » atque lectori asserimus, vitrea illa seu fictilia vascula, » quæ frequenter in abditis cœmeteriorum sepulcris,

(1) Romæ subterr., lib. I, cap. XXVII, num. 13, tom. I, pag. 94.

(2) Rationale divinorum officiorum, lib. VII, cap. XXXV, numm. 38 et 39, fol. 279. Lugduni, 1551.

» intus vel foris calce obfirmata reperiri contigit, ibidem
» haud ad alium quam hunc plane usum apposita fuere,
» aquam nimirum, quam lustralem dicimus, continendi
» gratia. Sed cum in omnibus fere fragminibus, quæ
» nobis quidem hucusque videre contigit, sanguinis,
» AUT MERI, SIVE VINI AQUA DILUTI vestigia subsidere conspi-
» ciantur, asserendum potius videtur nobilissima isthæc
» perpessi pro Christo martyrii signa atque indicia
» intuentibus esse. »

Æstimabat itaque generatim Aringhius vasis, colore rubro non tinctis, infusam olim fuisse aquam benedictam (quod et Bosius et ejus editor Severanus tradiderant); illis vero, quæ rubro crassamento infecta erant, contentum fuisse vel sanguinem martyrum, vel merum aut vinum aqua mixtum seu eucharisticum; potius tamen sanguinem martyrum quam eucharisticam vini speciem: nil tamen certi habebat, animi dubius et anxius.

Non aliter Papebrochius. Qui enim viri hujus, utique sagacissimi, ingenium noverit, is certe, (si ea lecta habeat, quæ ad diem 20 maji (1) et in Appendice ad prius semestre (2) scripsit,) mecum consentiet ei suspectas fuisse reliquias omnes, quæ ejus ævo ex cœmeteriis romanis eruebantur. Quid enim sibi volunt istud

(1) Act. SS., tom. V maji, pag. 219* et 220*, numm. 116 et 119; pag. 223*, num. 135; pag. 224*, num. 136.

(2) Ibid. tom. VII maji, pag. 709 et 710.

creduntur et illud aliud *ut par est opinari* in hac pericope : « *Creduntur* esse martyrum propter certa quædam » et passim indubitata (*ut par est opinari*) martyrii » signa, ipsis sepeliendis adjuncta, sive nomen adsit » calci, lateri aut lapidi inscriptum olim, sive non. » Hæc non vulgo, sed emunctæ naris scribebantur viris, qui quid ironia valeat intelligerent.

Intellexit hæc apprime Mabillonius, qui nonnulla ex commentario Papebrochii de sancto Lucifero Calaritano in rem suam deduxit, et multo apertius sententiam suam declaravit quam hagiographus belga. In utraque scilicet editione Epistolæ Eusebii Romani ad Theophilum Gallum de cultu sanctorum ignotorum pluribus quidem laudat sacræ congregationis judicium de vasis sanguine tinctis; sed utrobique addit (1) : « Si modo constet » ejusmodi vasa sanguine tincta esse, non ad continen- » dos suffitus aut odoramenta, aliaque id genus apposita » fuisse. » Quæ circumscriptio, nedum derogaret S. C. decreto, ejus consilio congruebat omnino; quum manifestissimum sit purpuratos patres de vero cogitasse sanguine, non autem de fusco rubrove crassamine, quod concretum sanguinem mentiretur.

Tillemontio quoque suspectus fuit ille sanguis, quem vasculis illis contineri volunt; quocirca scribere non dubitavit sequentia : « Putant majorem fidem adhiberi

(1) Ouvrages posthumes, tom. I, pag. 225 et 227.

» posse sanguini contento vasculis testaceis aut vi-
» treis, quæ frequenter ad sepulcra deteguntur. Verum
» hæc etiam reperire est ad tumulos infantum, qui vix
» aliquando unum duosve annos ætatis habent et qui
» rarissime tantum in mortis periculum venire potue-
» runt. Inveniuntur etiam ad tumbas fidelium, quibus
» multæ dantur in appositis epitaphiis laudes, præterita
» tamen potissima laude, scilicet martyrii. Quocirca, ita
» ille concludit, præstat id solum martyrii probare indi-
» cium, si nempe claris verbis antiquisque inscriptionibus
» proditur sepultos vitam posuisse pro Christo. (1) »

Non aliter Muratorius. Hic quidem in dissertatione, quam supra laudavimus, negavit tantum palmas martyrii signa esse, et de vasculis sanguineis melius sensisse visus est. Verum enim vero vehementer timeo ut hic atque etiam alibi candide locutus sit; veritus forte ne modo portare possent aures delicatiores. Etenim in novo suo Thesauro inscriptionum (2), post recitatam hanc epigraphen :

DOMINO CONIVGI EVSIBIO TERENTIA

BENEMERENTI IN PACE

hæc aperte scribit : « Est ibi vas vitreum martyrii
» signum. Cur vero nullum tam gloriosæ mortis ver-

(1) Mémoires ecclés. S. Cassien, art. II, tom. V, pag. 537. Edit. 1701.

(2) Inscriptt. pag. MDCCCLXVI, num. 3.

» bum pleræque inscriptiones exhibeant, mirandum » certe videatur. »

Et inferius post sequens epitaphium Laurentii bimuli (1) :

LAVRINIA MELLE DVLCIOR
QVIESC IN PACE
IVCVNDIANE
IN DEO
LICINIA CAPRIOLA
SABINE VIVAS IN ☧
DONATÆ
F
LAVRENTIVS
QVI. VIXIT. AN. II. M. V

subdit : « Ad postremum hunc loculum visitur vas » vitreum. Mirum videatur, quei infans duos tantum » annos natus martyrium subierit. »

Postmodum (2) :

VINCENTIA VIXIT AN
II. D. XXX

« Ibi vasculum martyrii signum. In sacris iis cœme- » teriis duo potissimum mireris. Nempe quum tot vasa » vitrea aut figulina occurrant, nullam tamen in ipsis » inscriptionibus mortis pro Christo toleratæ mentionem

(1) Inscriptt. pag. MDCCCXCVIII, num. 5.
(2) Ibid. pag. MCMLVIII, num. 8.

» haberi ; et præterea infantes ob fidem Christi morti » datos fuisse. »

Et adhuc (1) :

VITALINI. MERENTI. IN P.
VIXIT ANNIS VIIII. M. VIIII
D. XVII. PAR. FEC. DEP. IIII. K. MAR.

« Duo magna vascula vitrea sanguine respersa ade- » rant, martyrem indicantia. Sed simul mirari subit » quei tam teneræ puellæ mors inlata fuerit, et quidem » superstite utroque parente. » Atque hæc sufficere videntur ut quæ reapse fuerit Muratorii sententia satis superque appareat.

Franciscus Cancellierius quoque, qui libros potius vorasse quam legisse videtur (tanta passim excellit doctrinæ copia!) censuit etiam delectu et judicio opus esse, neque omnia, quæ sepulcris afficta aut insculpta reperiuntur vasa, totidem martyrii habenda esse indicia. « Vasa, inquit (2), sive vitrea, sivea cretacea, quibus » reapse immissus fuit martyrum sanguis, discernenda » sunt, non ab iis tantum quæ sculptores pictoresve in » lateribus effinxerunt, verum etiam ab iis quæ calce » adhærent alterutri sepulcrorum cornui, nec reliquias » continent nec sanguinis vestigia. »

(1) Ibid. pag. MCMLIX, num. 2.

(2) Dissert. epist. sopra due iscriz. delle martiri Simplicia ed Orsa, pag. 45.

Et demum Cajetanus Marinius, quem archæologi non absque summi viri appellatione salutare solent, bis saltem aperte declarat non sibi haberi vere sanguinea ea vasa omnia, ex quibus vulgo creditur discerni posse sanctos martyres a defunctis reliquis. Hanc sententiam manifestat ipso titulo quem sepulcrorum indidit collectioni, anno 1831 a cardinali Majo editæ. Ecce autem (1): *Epitaphia martyrum. Item illorum qui ex calice sanguinolento sepulchris adposito martyrum in numero habiti sunt.* Viden' ut martyres distinguat, certos, genuinos, ab iis qui ex calice sanguinolento sepulcris apposito martyrum in numero habiti sunt?

Alibi unam pandit ex causis quæ ejus impulerunt animum ad fidem negandam illis indiciis seu potius ad æstimandum calicibus illis sanguinolentis non verum olim infusum fuisse sanguinem, sed alium humorem. Quum enim scripsisset (2): « Romæ in porticu S. Mariæ » transtib. e cœmeterio Cyriacæ cum calice sanguino- » lento :

DIOGENIÆ FILIÆ
BONÆ QVÆ VIXIT
ANNOS SEX M. X
DIOGENES PATER INFELIX

in annotatis hæc continuo subjecit verba : « Porro quis

(1) Scriptt. vett. nov. Collect. tom. V, pag. 361.
(2) Ibid. pag. 427.

» credat christianum virum se appellasse infelicem pa-
» trem filiæ martyris? »

Corpus sanctæ Constantiæ, quod deinceps in ecclesia PP. Societatis Jesu Pistoriensium servatum est, cum ampulla quoque sanguinis repertum fuerat in cœmeterio Ostriano. Id corpus esse martyris potuisset Marinius eodem negare jure. Fert enim lapis, quo claudebatur, hanc inscriptionem (1) :

NIMIVM CITO DECIDISTI
CONSTANTIA MIRVM
PVLCHRITVDINIS ATQVE
IDONITATI QVÆ VIXIT ANNIS
XVIIII. MEN. VI. DIE XVI.
CONSTANTIA IN PACE.

Ejusdem generis est epitaphium sequens (2) :

CRISPINA
IVL. CRISPINÆ FIL. INNOCENTISSI
ME Q. V. M. VIIII. D. XXVII
IVLIVS PATER CONTRA VOTVM POSVIT.

Et hoc aliud (3) :

SECVNDA QVE VIXIT ANOS III
DOMTIXI PACE ;

id est : *Dumtaxat. In pace.*

(1) Scriptt. vett. nov. Collect. tom, V, pag. 425.
(2) Ibid. pag. 426.
(3) Ibid, pag. 449.

Neque magis fidem adhibere debebat Marinius martyrio puellulæ, quæ trima parentibus perierat et cujus corpusculum cum phiala sanguinea in Gordiani cœmeterio detectum est. Hæc scilicet verba capit epitaphium (1) :

DOMINE ECCOMPARIAVÆ
BIXIT IN PACE AIVS TRISTA
XXX

id est, *Dominæ incomparabili. Vixit in pace annos tres tam.* Qua formula conqueruntur parentes quod erepta sibi sit sua filia, quum annos *tantum* tres nata esset : *ta* enim loco *tam*, communi apocope literæ *m*, cujus sonus vix audiebatur, nil singulare habet (2) ; *tam* pro *tantum* seu *tam modo* pro *tantum modo*, Prænestinis usitatum (3), prius ludibrio Romanis fuit (4), deinde usu probatum (5). Nec Marinius sibi persuaderi sivisset appellationem *dominæ* egregiam reverentiæ significationem esse, quæ sanctis tantum adhibebatur martyribus ; prout summo viro Francisco Antonio Zaccariæ (6) visum est, scribenti « se in ea esse sententia nusquam in

(1) Boldetti, Osservaz. pag. 433.

(2) Cfr. Quintill. lib. xv, cap. iv.

(3) Cfr. Suaresius, Præneste, lib. i, cap. xxvi, ap. Grævium, Thesaur. antiq. italic. tom. VIII, part. iv, col. 47.

(4) Cfr. Plautus, Trin. 3, 1. 8.

(5) Attius, cit. a Festo, ap. Suaresium, loc. cit.

(6) De christ. inscriptt. diss. cap. ult. ap. Migne, Cursus Theolog. compl. tom. V, col. 393.

» christianis inscriptionibus *domni* (seu *domini*) titulum » tribui nisi martyribus, ut, etsi alia martyrii decssent » indicia, unum *domni* (seu *domini*) nomen illud mani- » festo declararet. » Non enim illo ævo reverentiæ et observantiæ rationem habebat illa vox, sed potius familiaritatis et amoris; quemadmodum ex pluribus Senecæ locis demonstravit Facciolatus (1) : quam ob causam dabant hanc laudem christiani parentes suis filiis fere infantibus (2), filii parentibus (3), maritus uxori (4), uxor marito (5), frater fratri (6), etiam ubi ne speciem quidem aut umbram martyrii suspicari licet. Quin etiam compluribus ethnicorum tumulis idem verbum eademque significatione inscriptum legi jam pridem observatum est.

Verum ex hoc diverticulo redeamus ad Marinium; de quo nil aliud hic quærendum nobis erat quam quæ ejus fuerit de phialis sepulcralibus opinio : aperte eum

(1) Lexicon tot. latinitatis, v° *Dominus*.

(2) Cfr. Boldetti, Osserv. pag. 396; Muratori, Inscriptt. pag. MDCCCLI, num. 3; pag. MDCCCLXIX, num. 2; pag. MCM, num. 8; Aringhi, Roma subterr. lib. IV, cap. XXXVII, tom. II, pag. 130; Reinesius, Syntagma, class. XX, num. 141, pag. 931.

(3) Cfr. Aringhi, lib. IV, cap. XVII, pag. 78; Reinesius, class. XX, num. 329, pag. 973.

(4) Cfr. Muratori, Inscriptt. pag. MDCCCLXXX, num. 6; pag. MDCCCXC, num. 4; pag. MCMIII, num. 1; pag. MCMXIII, num. 9.

(5) Ibid. pag. MCMVII, num. 5.

(6) Ibid. pag. MCMLXI, num. 4.

dicentem audivimus se credere non posse eos omnes esse martyres, ad quorum locos id genus ampullarum detegitur; profecto quod iis infusum olim liquorem non humanum naturalemque sanguinem fuisse putaret.

Atque ita senserunt, licet dissimulanter aliquando, Bosius, Aringhius, Papebrochius, Mabillonius, Tillemontius, Muratorius, Cancellierius, Marinius; maxima, si quæ umquam, inter catholicos scriptores nomina.

Equidem, quum nec dissimulatione, nec interrogandi tropo, nec admirationis significatione uti velim, sed pro sincero veritatis amore candide proponere quæ sentiam, absque ambagibus has a me theses propugnatum iri in limine profiteor :

I. Vasculis sive testaceis sive vitreis, quæ foris ad tumulos calce affixa sunt et quæ alia ejusdem generis intus aliquando reperiuntur, numquam contentum fuisse sanguinem martyrum, neque ea proinde signum esse defunctos, illic conditos, martyrii laurea fuisse donatos.

II. Materiam fuscam aut purpuream, quæ in iisdem cernitur vasis, verisimillime crassamentum seu fæcem esse, in quam, cessante vini specie et Christi sanguinis præsentia, conversum est vinum eucharisticum, quod olim, lacte aliquando mixtum, eæ ampullæ continuisse videntur.

III. Alia esse vasa et lagenas, quibus vere immissus aliquando fuit martyrum sanguis; hæc certissima esse martyrii signa; atque de his solis intelligendum esse S. C. edictum.

CAPUT QUARTUM.

AB ALIIS MINUI, AB ALIIS MIRUM IN MODUM EXAGGERARI MARTYRUM NUMERUM.

Dum autem ad propositam illam spartam adornandam accedo, ut adversæ sententiæ patronorum menti ante omnia obversata est sanctorum martyrum multitudo, eaque tamquam fundamento solido nixi sunt, sic et animo meo statim ab initio apparet illa eadem et stylum ad se vocat.

Profecto is se ridendum propinat, qui Dodwelli vestigia secutus martyres numero paucos fuisse adstruxerit. Confixit hanc sententiam Ruinartius; cui eruditi omnes victoriam gratulati fuere. Neque est quod hic denuo expediam arma, quibus prælium id pugnavit eruditus vir.

Verum hic nec rationibus nec supputationibus colligere ausus est ad quot millia beatissimorum athletarum adscenderit universus numerus : silentio itaque pressit ducenties centena millia (20,000,000), quæ suggerunt alii; centies tricies (13,000,000), quæ placuere aliis; centies decies (11,000,000), quæ tertium hominum genus probavit, et alia hujuscemodi somnia. Neque ego his occupari volo, quum non proxime ad Romam pertineant.

Contra libet oculos conjicere in ea quæ de Roma asserit Boldettius (a), scilicet, si omnes ejus martyres conscripti essent in kalendariis, ad singulos anni dies septem millia notata fore; manifesto eum numerum huic uni civitati attribui; atque hujus rei vadem esse præstantissimum virum Baronium capite III dissertationis suæ de Martyrologio romano. Quis hæc legens non obstupeat! septem millia martyrum ad singulos anni dies! universim vicies quinquies centena quadraginta octo millia in una civitate (2,548,000) (b)! plus

(a) È chiarissimo che a Roma viene attribuito il numero di settemila per ciascun giorno (1).

(b) Che moltiplicati ascendono a più di due millioni e mezzo di santi martiri (2).

(1) Osservaz. pag. 266.

(2) Bernini, Hist. omn. hæres. tom. I, cap. XIV.

quam tertia pars eorum omnium, qui in cœmeteriis subterraneis romanis sepulti fuisse censentur per sæculum I, II, III, IV, V et VI! (censentur enim universim septuagies centena millia hominum (7,000,000) illic sepulta jacere;) et si decem persecutiones numerentur, plus quam ducenta quinquaginta millia capitum (254,800) cæsa Romæ in singulis persecutionibus!

Videlicet ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Nero!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Domitianus!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Trajanus!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Hadrianus!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Marcus Aurelius!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Severus!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Maximinus!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Decius!

Ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Valerianus!

Et demum ducenta quinquaginta quatuor millia christianorum Romæ occiderit Diocletianus!

Nil hujusmodi scripsit Baronius capite III, neque capitibus V et VII quæ ab aliis citata reperio. Verum qui talia mente reposita et sibi vere persuasa habeat, is terreri nequit immensa sepulcrorum multitudine, quibus quæ sibi videntur martyrii indicia affixa sunt; contra laborare debet ut sat multi tumuli præconceptæ suæ opinioni de innumerabili martyrum copia respondeant.

Sed plane ludunt aut luduntur. Etenim demonstravit Dureau de la Malle (1) certissimis argumentis.

I. Romæ pomœrio, quale a temporibus Servii Tullii usque ad Aureliani ævum exstitit, contineri non potuisse plus trecenties mille (300,000) incolas, cujuscumque sexus, ætatis et conditionis;

II. Novo Aureliani pomœrio capi non potuisse ultra quingenties quinquagies mille (550,000) capita;

III. Nullo umquam tempore suburbium tam frequens fuisse quam nonnulli sibi persuaserunt;

IV. Imperante Septimio Severo, in pomœrio simul et suburbio non ultra quingenties sexies mille ducentos (506,500) incolas vixisse;

V. Romæ et totius Italiæ incolarum numerum ab

(1) Recherches sur l'étendue et la population de Rome, Nouv. Mém. de l'Académie des inscriptions et belles-lettres, tom. XII, part. II, pag. 237 et suivv.; Recherches sur l'affaiblissement de la population et des produits de l'Italie pendant le septième siècle de Rome, ibid. pag. 328 et suivv.; Mémoire sur la population libre de l'Italie, sous la domination de la république romaine, tom. X, pag. 461 et suivv.

inclinata republica usque ad barbarorum adventum continuo decrevisse; et demum

VI. Mediam ætatem hominum annos fuisse triginta.

Jam fac ab anno Christi 52 usque ad annum 312 quartam romanorum partem christianos fuisse; omni illo tempore constanter Romæ et in suburbio quingenties sexies mille quingenta (506,500) censita fuisse capita; atque ætatem mediam christianorum non annos fuisse triginta sed viginti tantum; intra ducentos illos et sexaginta annos habebimus per calculum facillimum ($x = \frac{260}{20} \times \frac{506,500}{4}$) Romæ vixisse sedecies centena dumtaxat quadraginta sex millia christianorum (1,646,125), pauciora quam volunt cæsos fuisse martyres (2,548,000)! Nil itaque nobis proponut quod serium sit, sed fabulas vendunt et somnia.

Quocirca dissentire non ausim a sancto Gregorio Magno, rerum ecclesiæ romanæ peritissimo, qui arbitratus est pene omnes martyres (de romanis potissimum judicare poterat) descriptos esse in Martyrologio, quod hieronymianum dici solet. Hæc ejus sunt verba, dum ad Eulogium Alexandrinum literas daret : « Nos autem, » inquit (1), PENE OMNIUM MARTYRUM, distinctis per sin- » gulos dies passionibus, COLLECTA IN UNO CODICE NOMINA » HABEMUS; atque quotidianis diebus in eorum venera-

(1) Lib. VIII, epist. XXIX, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXVII, col. 931.

» tione missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem » volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tan- » tummodo nomen, locus et dies passionis ponitur. Unde » fit ut multi ex diversis terris atque provinciis per » dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coro- » nati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus. » Quod siquis negare voluerit sanctum Gregorium hoc loco de hieronymianis fastis cogitasse, funem contentiosum alterno ductu in diversa cum eo non distendam, sed negotium ei esse sinam cum Bollando (1), cum Florentinio (2) et cum Sollerio (3), quibus nemo felicius ostendit non de alio sanctum Gregorium locutum esse libro quam de laterculis, quibus sancti Hieronymi (jure an injuria) inditum est nomen.

Porro placuit numerare sanctos martyres romanos, huic Martyrologio per integrum mensem januarium adscriptos; et nedum mihi singulis diebus occurrerint septies mille, reperi universim centum circiter et sexaginta; atque hinc si judicium feratur de reliquis mensibus (nam januarius sterilior non fuit sanctorum martyrum quam reliqua anni tempora), dabit annus integer mille nongentos viginti martyres. Verum, inquies, non

(1) Acta SS. tom. I januarii, præf. gener. cap. IV, § IV, pag. XLV et seqq.

(2) Vetus occid. eccl. Martyrol. admonit. præv. pag. 14 et seqq.

(3) Præfatio ad Usuardum, cap. I, art. I, pag. V et seqq.

dixit sanctus pontifex omnes omnino ibidem recenseri beatos martyres, sed tantum *pene omnes*. Esto, duplicemus numerum, et liberali manu concedamus Romæ quatuor millia martyrum : neque plures ex ullis monumentis alicujus fidei extundes.

Ast nonne Roma martyriorum primatum habuit? nonne Nicomedia uno Diocletiano imperatore undecim millia pugilum sanguinem suum pro Christo fundentes vidit? nonne alibi plura quoque cæsa Christianorum millia? Equidem nuspiam legi quam ob causam plures Romæ adscribendi sint sancti martyres quam aliis orbis locis.

Maneant itaque Romæ sua decora; maneant et aliis civitatibus sua. Glorietur Roma pretiosissimo principum apostolorum Petri et Pauli sanguine; glorietur Nicomedia undecim martyrum millibus. Habeat hanc laudem Roma quod sæpius, dum persecutio ingrueret, prima gladii vulnera experta est, et aliis civitatibus fortitudinis exemplo præivit; sed ne negetur aliis locis hæc altera laus, quod aliquando diutius et acerbius ignes sensit et enses. Quin etiam, quum omnia ex cathedra Petri tamquam ex fonte emanent eoque reducenda sint, alienum splendorem suum reputent Romani, et ovantes cum sancto Leone (1) dicant : « Beatorum martyrum

(1) S. Leonis sermo LXXXII, al. LXXX, in nat. app. Petri et Pauli, cap. VI; ap. Migne, Patrologia, tom. LIV, col. 426.

» millia..., apostolicorum æmula triumphorum, urbem » nostram purpuratis et longe lateque rutilantibus » populis ambierunt, et quasi ex multarum honore » gemmarum conserto uno diademate coronarunt! »

Neque exiguus est numerus martyrum quatuor millia; hunc nos citramontani suspicimus quam plurimum, qui in uno alteroque sancto populari gloriari solemus; neque Roma eum non magni facere potest, quæ, quum nunc unus tantum inter sanctorum aut beatorum ordines recensendus est, labori parcere nescit, neque sumptibus. Valeant itaque, iterumque valeant vicies quinquies somniata centena quadraginta octo millia, et quæ ratio suadeat et monumenta confirment, teneantur.

Verum enimvero si probabiles hos inter limites consistamus, consentiendum erit Mabillonio (1) jam pridem exhausta fere esse sacris corporibus cœmeteria romana; quemadmodum nos quoque sequentibus capitibus palam facere conabimur.

(1) Epist. Theophili, edit. I, num. IX, Opp. posth. tom. I, pag. 243.

CAPUT QUINTUM.

OMNIA FERE MARTYRUM CORPORA E COEMETERIIS EXTRACTA FUISSE A PAULO I, PASCHALI I ET DECESSORIBUS.

Nondum ecclesiæ pax a Constantino data fuerat, quum jam aliquot sanctorum corpora translata fuisse videntur. Verum hæ translationes raræ et nulla fere earum habenda ratio; ita ut sanctus Paulinus (1) jure merito canere potuerit :

« Nec satis hoc donum Domini fuit, ut sua tantum
» Nomine sive opibus loca martyres illustrarent :
» Ex iisdem tumulis etiam monimenta piorum
» Multiplicans, multis tribuit miserator eosdem

(1) Poema XIX, in nat. S. Felicis XI, vv. 311 et seqq. ap. Migne, Patrologia, tom. LXI, col. 530.

» Gentibus....
» Id placitum Christo nunc inspirante potentes,
» Ut Constantino primum sub cæsare factum est;
» Nunc famulis retegente suis, ut sede priori
» Martyras accitos transferrent in nova terræ
» Hospitia : ut sancto non olim antistite factum
» Novimus Ambrosio. »

Pergit dein mirabilem sanctorum Protasii et Gervasii describere translationem; et postea quæ Constantinus imperator in novam urbem devehenda curaverit sanctorum corpora recenset.

Sed Gervasii et Protasii nomina Romam nos vocant; ubi jam ante ex sepulcris educebantur sanctorum corpora, ut, quemadmodum alicubi Augustinus loquitur, aræ fierent Dei vivi. Ambrosius enim de solemni mediolanensium athletarum translatione ad Marcellinam sororem scribens : « Cum ego, inquit (1), basilicam dedicare » vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœpe» runt, dicentes : Sicut romanam basilicam dedices. » Respondi : Faciam, si martyrum reliquias invenero. » Ex quibus verbis plane sequitur tunc temporis jam aliquandiu Romæ in usu fuisse (quod tum Mediolani primum factum est) ut martyrum aperirentur loci eorumque ossa sub novis componerentur altaribus.

(1) Epist. S. Ambrosii XXII, num. 1, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 1019.

Verum illo ævo singularia tantum caque celeberrimorum martyrum corpora ex cœmeteriorum tenebris prodierunt in apertam diei lucem. Duobus tribusve sæculis post liberalius actum.

Quum enim, Phoca imperante, constituisset sanctus Bonifacius papa IV die 13 maji, inter annum 607 et 610 (neque enim certa lex, neque firma consuetudo (1) jubebat, ut voluere Pagius et Papebrochius, hanc celebritatem die dominica haberi), quum, inquam, ille pontifex statuisset templum Pantheon in honorem B. M. V. et omnium sanctorum martyrum Deo consecrare, « illata illuc fuere DUODETRIGINTA curribus ossa » sanctorum martyrum e diversis urbis cœmeteriis » effossa, solemniterque comportata ac decentissime col- » locata; » quemadmodum se legisse in ejus ecclesiæ codice ms. bis testatur Baronius (2).

Sæculo sequenti multos loculos martyrum vacuos fecere Langobardi. Initio quidem sacra corpora submissis petierant precibus, et Arichis I a sancto Gregorio M. corpus sancti Modesti levitæ consecutus fuerat. Verum ineunte anno 756 (3), pontifice Stephano III, breviorem

(1) Cfr. Meichelbeck, Chronicum Benedicto-Buranum, præf. pag. XXXIII et seqq. et Lazzeri, Della consecrazione del Pantheon, pag. 6 et seqq.

(2) Martyrolog. Rom. ad 13 maji, not. *a;* Annal. eccl. ad an. 607, num. 1.

(3) Mansi, Not. ad Baronium, tom. XII, pag. 633.

viam ingressus est rex Aistulphus; qui cupiditate quadam, quam ipse sanctam habebat et laudabilem, « multa » corpora sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria ad » magnum animæ detrimentum abstulit (2) » et « ex » romanis finibus in Papiam detulit (2). » Quot ea fuerint numero non constat; sed procul dubio quam plurima. Tres enim menses seu potius dies quinquaginta quinque (3) (tam diu obsedit Romam) in illis inquirendis posuit; nulli rei parcens, sed omnia quæ erant extra urbem ferro et igne devastans atque funditus demoliens (4). Nil itaque mirum Papiam tot abundare sanctorum reliquiis : et quidem, ut in vetere codice ms. Papiensi legitur (5), « anno Domini MCCXXXVII dominus Rodo- » baldus Dei gratia papiensis episcopus fecit inquiri » corpora sanctorum, quæ sunt in civitate Papiæ et in » ecclesiis, in quibus recondita sunt : et in libro quodam » per ordinem enarrata reperiuntur, et sunt numero » CXXVII; exceptis, quæ non sunt scripta in hoc libro, » et multis reliquiis, quæ in dictis ecclesiis sunt recon- » ditæ. » Sane alii quoque reges et ex aliis civitatibus

(1) Anastasius Bibliothec. in Stephano III, sect. 249, edit. Bianchini, tom. IV, pag. 245.

(2) Anonym. Salernit. ap. De Vita, Antiq. Benev. tom. II, pag. 111.

(3) Pagius, Critice in Baronium, ad an. 755, num. IV.

(4) Anastasius loc. cit.

(5) Cfr. Romualdus a S. Maria, Flavia Papia sacra, pag. 11; Acta SS. tom. VI octobris, auctar. pag. 22.

acceperunt sanctorum corpora (1); sed hæc pauca esse numero, si conferantur cum ablatis e romanis suburbiis, nemo negavit umquam : ita ut si centum sanctorum martyrum pias exuvias Aistulphum furatum esse dixerimus, in exaggerandi periculum non deveniamus.

Luxit quam acerbissime hanc stragem sanctus Paulus papa I, nec quidquam a se opportunius fieri posse æstimavit, quam ut quæ reliqua reperiret corpora ea ex cœmeteriis educeret. Universam rem narrat ipsemet in constituto, quod IV nonas seu die 2 junii anni 761 proposuit : « Cum per evoluta, inquit (2), annorum » spatia diversa sanctorum Christi martyrum atque con- » fessorum ejus, foras muros hujus romanæ urbis sita, » antiquitus cœmeteria neglecta, satis manerent diruta : » contigit postmodum ab impia Longobardorum gentium » impugnatione funditus esse demolita. Qui etiam et » aliquanta ipsorum effodientes martyrum sepulcra et » impie devastantes, quorumdam sanctorum, deprædati, » auferentes, secum deportaverunt corpora. Et ex eo » tempore omnino desidiose atque negligenter eis debitus » venerationis exhibebatur honor. Nam et (quod dici » nefas est) etiam et diversa animalia in aliquantis » eisdem sanctorum cœmeteriis aditum habentia : illic » enim eorum existebant septa animalium, in quibus

(1) Ibid. pag. 10.

(2) Baronius, Annal. eccl. ad an. 761, numm. III et IV.

» fœtoris egerebant squalorem. Unde conspecta corum-
» dem sanctorum locorum desidiosa incuria, et ex hoc
» valde ingemiscens, atque plurima doloris attritus
» mœstitia, aptum prospexi, Deo annuente, eosdem
» sanctos martyres, et confessores Christi, et virgines ex
» iisdem dirutis auferre locis. Quos et cum hymnis et
» canticis spiritualibus in hanc romanam introduximus
» urbem et in ecclesiam, quam noviter a fundamentis
» in eorum honorem construxi (intra mœnia scilicet in
» domo, quæ mihi parentali successione obvenit, in qua
» me natum constat atque nutritum), eorum sanctissima
» collocans condidi corpora. Ubi congregationem con-
» stitui monachorum speciali censura in honorem et
» nomina beatorum Stephani papæ et martyris atque
» Silvestri papæ et confessoris Christi : in quo veneranda
» eorum quiescunt corpora. »

Porro in novissimo Actorum sanctorum volumine (1) demonstratum est tunc valde multa translata fuisse sanctorum corpora; eorum nomina legi in duabus tabulis seu kalendariis marmoreis, quæ porticum monasterii sancti Silvestri occupabant, eamque solemnissimam translationem paulo ante peractam esse quam Paulus I illam proponeret bullam. Sæpius editæ fuere illæ tabulæ, neque ita pridem a cardinali Majo (2). Nomina capiunt quadra-

(1) Acta SS. tom. VIII octobris, pag. 322 et seq.

(2) Scriptt. vett. tom. V, pag. 56 et seqq.

ginta trium cælitum; quibus addendi alii viginti quinque anonymi, quorum festum agebatur die 11 novembris. Præterea ad 9 martii legitur « natale sanctorum, quorum Deus nomen scit; » et eadem dictio ad 10 septembris recurrit; demum ad 9 octobris habes : « Natale sanctorum multorum martyrum : » adeo ut facile centum et plura martyrum corpora tunc loco mutata fuerint. Sed ecce ipsæ tabulæ, prior sanctorum, posterior sanctarum :

† IN N̄ DN̄I HEC EST NOTITIA NATALICIORUM
SCORUM. HIC REQUIESCENTIUM
MENSE. IANUARIO. DIE III. NĀT. SCI ANTHERI. PAPÆ
DIE X. MENS. SS. N̄. SCI MILTIADES. PAPÆ
MENSE. FEBR. DIE. XI. N̄. SCOR. CALOCERI ET PARTHENII
MENSE. MARTIO. D. II. N̄. SCI. LUCII. PAPÆ
DIE VIIII. M̄. SS. N. SCOR. QUOR. NOM. DS. SCIT.
DIE XVIII. M̄. SS. N̄. SCI. PYMENII. P̄B. ET MART.
DIE XVIIII. M̄. SS. N̄. SCOR. CHRYSANTHI ET THRASONIS
DIE XXIII. M̄. SS. N̄. SCI. QUIRINI. MART.
MENSE. APRIL. D. XXII. N. SCI. GAII. PAPÆ.
DIE. XXV. M. SS. NA. SCI MILITI. MART.
MENSE. MAIO. D. XII. N̄. SCOR. TROFIMI ET CALOCERI
MENSE. JULIO. DIE. XXVI. N̄. SCOR. ZEFERINI. PAPÆ. ET. TARSICII. MARTYRIS
MENSE. AUGUSTO. DIE. VIII. NA. SCORU. QUIRIACI. LARGI. SMARAGDI. ARCHEL
DIE. XIII. M̄. SS. NA. SCI. YPPOLITI
MENSE. SEPTIMBRIO. DIE. X. N̄. SCI. GORGONII. ET. ALIOR. QUOR. NOM. DS. SCIT.
DIE XX. M̄. SS. N̄. SCI. IANVARII. D. XXI. N̄. SCOR. PAMFILI. ET PAVLI MITIS
MENSE. OCT. DIE VIIII. N̄. SCOR. PROIECTI ET SEBERI
MENSE. NOV. D. XXVII. N̄. S. OPTATI. ET POLYCHAMI
D. XI. M̄. SS. N̄. SCOR. VIGINTI QVINQVE

MENSE. DEC. D. XXVII. N. SCI. DYONISII. PAPÆ.
D. XXVIIII. M. SS. N. SCI NEMESII. DIACONI.

IN N. DNI. HÆC. NOT. NAT. SC[ORUM.]
HIC REQUIESCENT[IUM.]
MENSE. MART. D. XVIIII N. SCA[E DARIÆ]
ET HILARIÆ V. [ET M.]
MENSE. AUG. D. VIII. N. SCAR. M[EMINEÆ.]
ET JULIANÆ
D. VIIII. M. SS. N. SCÆ ARTHE[MIÆ.]
D. XII. M. SS. N. SC. CONCOR[DIÆ V. ET M.]
MENSE. SEPT. D. XXX. N. SCAR. [SOPHIÆ VIDUÆ.]
PISTIS. HELPIS. ET AGAPE.
MENSE. OCT. D. XIIII. N. SCÆ [CYRILLÆ V. ET M.]
D. XVIII. M. SS. N. SCÆ TRIFO[NIÆ VIDUÆ.]
D. XXVII. M. SS. N. SCÆ C[ONCILIÆ V. ET M.]

Hanc posteriorem partem fuisse ruptam et restitutam verisimillime ex altera vetusta membranacea, de qua Waddingus (1), alibi jam monitum fuit (2). Alia quoque sanctorum corpora effodienda curavit sanctus Paulus; quæ inter sanctorum Gorgonii, Naboris et Nazarii, anno 765 sancto Chrodogango Mettensi dono data (3).

Sed nemo majori copia e cœmeteriis collegit sacras reliquias quam Paschalis papa I; quod fecit die 20 julii

(1) Annal. Min. ad an. 1285, num. xx, tom. V, p. 148.

(2) Acta SS. tom. VIII octobris, pag. 322.

(3) Cfr. Mabillonius, Annal. Bened. ad an. 765, num. vi; et Pagius, Critice, ad an. 764, num. i.

anni 817 : « Hic nempe beatissimus et præclarus pon-
» tifex, verba sunt Anastasii (1), multa corpora sancto-
» rum diutius in cœmeteriis jacentia pia sollicitudine,
» ne remanerent neglectui, quærens, atque inventa
» colligens, magno venerationis affectu in jam dicti
» Christi martyris Praxedis ecclesiam, quam mirabiliter
» renovans construxerat,... deportans recondidit. »
Erant autem hæc corpora numero bis mille trecenta (2,300); supersunt tabulæ, quas, licet sæpius editæ fuerint, juverit hic iterum describere (2) :

† IN N̄ D̄NI D̄I SALV̄. N̄RI IHU X̄PI TEMPORIBUS SCIS-
SIMI AC TER BEATISSIMI ET APOSTOLICI D̄N PASCHALIS
PAPÆ INFRADUCTA SUNT VENERANDA SCORUM COR-
PORA IN HANC SCAM ET VENERABILEM BASILICAM
BEATÆ X̄PI VIRGINIS PRAXEDIS : QUÆ PRÆDICTUS
PONTIFEX DIRUTA EX CYMITERIIS SEU CRYPTIS JACEN-
TIA AVFERENS ET SVB HOC SACRO S̄CO ALTARE SVMMA
CVM DILIGENTIA PROPRIIS MANIBVS CONDIDIT IN MEN-
SE JULIO DIE. XX. INDICTIONE DECIMA.
NOMINA VERO PONTIFICUM HÆC SUNT. URBA-
NI. STEPHANI. ANTHERI. MELTIADIS. FAVIANI. IULII. PON-
TIANI. SIRICII. LUCII. XYSTI. FELICIS. ANASTASII. ET CÆLESTINI.
ITEM NOMINA EPISCOPORUM. STRATONICI. LEUCII. ET
OPTATI. QUAMQUAM PRESBITERORUM ET LEVITARU̅
NICOMEDIS ARCHIPB̄RI. IUSTINI. ET CYRINI. CYRIACI DIA-
CONI. NEMESII. ATQUE IACHEI. ETIAM ET MARTY-

(1) Anast. Biblioth. tom. I, pag. 320.
(2) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 38 et seqq.

RUM NOMINA ISTA SUNT. ZOTICI. HERENEI. IACHIN·
THI. AMANTII. MARI. AUDIFAX. ABBACU. AC SCORUM
OCTINGENTORUM QUORUM NOMINA SCIT OMPS.
CASTULI. FELICIS MILITIS. GORDIANI. EPIMACHI. SERVI·
LIANI. SULPICII. DIOGENIS. BASTI. ET ALII LXII. MARCEL·
LIANI. MARCI. FESTI. ET ALII DUO. TERTULLINI. FAUSTI. BO·
NOSI. MAURI. CALUMNIOSI. IOHANNIS. EXSUPERANTII.
CASTI. CYRILLI. ET SEPTEM GERMANOS. HONORATI.
THEODOSII. BASILII. CRESCENTI. LARGI. SMARAG·
DI. CRESCENTIONIS. IASONIS. MAURI. YPPOLITI.
PONTIANI. CHRYSANTI. ET ALII LXVI. SIMUL·
QUE ET ALII MILLE CENTUM VIGINTI QUATTUOR
QUORUM NOMINA SUNT IN LIBRO VITÆ. MAURI.
ARTHEMII. POLIONIS. ET ALII SEXAGINTA DUO MAR·
TYRES. NOMINA QUOQUE VIRGINUM SCILICET
ET VIDUARUM. PRAXEDIS. PUDENTIANÆ
IULIANÆ. SIMFEROSÆ. FELICULÆ. MARINÆ
CANDIDÆ. PAULINÆ. DARIÆ. BASILLÆ. PAU·
LINÆ. MEMMIÆ. MARTHÆ. EMERENTIANÆ
ZOE. ET TIBURTIADIS. QUOCIRCA ET IN IPSO
INGRESSU BASILICÆ MANU DEXTRA. UBI UTIQUE
BENIGNISSIMEE SUÆ GENITRICIS SCILICET DOM·
NÆ THEODORÆ EPISCOPÆ CORPUS QUIESCIT. CON·
DIDIT JAM DICTUS PRÆSUL CORPORA VENERABILI·
UM HÆC. ZENONIS PRESBITERI ET ALIORUM
DUORUM. PARITERQUE ET IN ORATORIO BEATI
IOHANNIS BAPTISTÆ MANU LEVA PRÆNOMINA·
TÆ BASILICÆ, QUI ET SECRETARIUM ESSE DINOSCI·
TUR, CONDIDIT CORPORA SCILICET MAURI ET ALI·
ORUM QUADRAGINTA MARTYRUM.
SIMILI MODO ET IN ORATORIO BEATÆ XRI VIRGINIS
AGNETIS. QUOD SURSUM IN MONASTERIO SITUM
EST. IPSE PASTOR EXIMIUS POSUIT CORPORA PIORUM

MARTYRUM. VIDELICET ALEXANDRI PAPÆ
ATQUE EVENTII ET THEODULI PRESBITERIS.
HOS OMNES DEI ELECTOS FREQUENTIUS DEPRE-
CANS. QUATENUS PER EORUM VALEAT PRECES
SUÆ POST FINEM CARNIS AD CÆLI CONSCEN-
DERE CULMEN. AMEN.
FIUNT ETIAM INSIMUL OMNES SCI DUO MILLIA CCC

Neque dubitandum est quin sanctus Paschalis ea omnia extulerit sanctorum martyrum corpora, quæ tunc temporis cognita essent. Etenim, quum Gregorius IV anno 827 romanam cathedram adscendisset, et literas ad eum dedisset Otgerus, moguntinus præsul, martyris corpus enixe rogans, ad has respondit Gregorius pontifex (1): « De corpore vero sancto, quod nobis humiliter vestra » quæsivit prudentia, quod dirigere non habuimus, » QUONIAM CUNCTA SANCTORUM CORPORA PRÆDECESSORES NOSTRI » NOBISCUM COMMUNITER DETULERUNT, et unumquodque » eorum ecclesiis noviter dedicatis summa veneratione » condidimus. Proinde benevolentiam vestram preca- » mur, ut nobis spatium inquirendi diligentius præbea- » tis, quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad » vestram complendam petitionem. Et si inventum » fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim » quod petitis perficiemus. Modo vero illud non misi- » mus, quia inquirentes nequaquam invenire valui- » mus. »

(1) Inter epist. S. Bonifacii, edit. Serarii, num. 116, edit. Wurdtwein, num. CXXXVII, et pag. 327.

CAPUT SEXTUM.

A PASCHALIS I TEMPORIBUS USQUE AD EXIENS SÆCULUM XVI PAUCA SANCTORUM CORPORA IN COEMETERIIS REPERTA.

Hinc qui concludere voluerit exhausta fuisse omnino sacra cœmeteria, is profecto justo longius processerit; sed qui contra senserit tantam illic sepultam fuisse martyrum multitudinem ut ea reliquiarum abductione vix imminutus fuerit subterraneus sacrorum pignorum thesaurus, is non minus iverit in devia. Via media itaque incedendum, ita ut ne adstruatur arenaria post Paschalem I prorsus fuisse vacua sacris reliquiis, et simul ne aures præbeantur Boldettio (1); quo duce, pronum esset credere Gregorium IV in quærendis mar-

(1) Osservaz. pag. 96.

tyrum corporibus minus fuisse industrium; successorem Sergium II multo fuisse sagaciorem : a quo nempe in uno Priscillæ cœmeterio multa detecta fuisse sacra corpora; quod testatum Anastasii libris et memoriæ servatum antiqua tabula marmorea. Verum phaleræ ad populum.

Sergius scilicet II nullas omnino detexit in cœmeterio Priscillæ reliquias, sed quas alii pontifices in aliis condiderant ecclesiis, extulit eas ipse, in templo sancti Martini in Exquiliis ponendas. Constat id ex ipsis sanctorum nominibus, quæ recitat Anastasius et quæ in tabulis supra propositis videre fuit. Prodeat Anastasius.

« Sanctorum Silvestri, inquit (1), et Martini eccle» siam... perfecit.... Et ad honorem omnipotentis Dei, » ejusdemque beatissimi Silvestri præsulis corpus, cum » beatissimo Fabiano, atque Stephano et Sotere mar» tyribus atque pontificibus; simulque Asterio martyre » cum sacratissima filia ejus; sanctoque Cyriaco, et » Mauro, Largo et Smaragdo; atque Anastasio et Inno» centio pontificibus; una cum sancto Quirino ac Leone » episcopis; pariter Arthemio, Nicandro, Crescentiano » martyribus; cum quibus beata Sotere atque Paulina; » necnon Memmia, Juliana et Quirilla; Theopista, » Sophia virginibus et martyribus; et beata Quiriaca

(1) De vitis romm. pontt. tom. I, pag. 355.

» vidua, cum aliis multis, quorum nomina Deo soli » sunt cognita, utrosque sub sacro altari dedicans col- » locavit. » Viden'? omnia fere nomina quæ alibi jam fuere obvia; nec verbum de cœmeterio Priscillæ.

Ast tabula marmorea certum facit ea omnia ex illo arenario producta fuisse in lucem! Hæc plane negligeremus, nisi cardinalis Majus (1), qui a seipso id marmor cum apographo Mariniano collatum fuisse perhibet, oblitus fuisset addere jam pridem a Papebrochio (2) animadversum fuisse recentius id esse figmentum. Non tamen est quod id recitemus hoc loco, quum fere cum Anastasio conveniat, nisi quod in fine additum fuerit :

HEC. SCOR. CORPORA. TRANSLATA
SUNT. DE CIMITERIO. PRISCILLE. VI·
A SALARIA : STATUES : OMNI ANN. IN FE·
STIVITATIB. : VI : ECCLESIE : INDULGENTIA. TRIUM
AGNOR. ET. III QUATRAGENAR. OMNIB. AD EANDE.

Insolitam fuisse sæculo IX tam largam indulgentiam prætcrire licet. Contra animadvertendum omnino est SS. Fabiani et Stephani corpora deposita fuisse in Callisti via Appia, ut constat ex Bucherianis catalogis, eademque in S. Praxedis basilicam a Paschali I fuisse deportata ostensum esse supra; Soterem quoque illic

(1) Scriptt. vett. tom. V, pag. 47.

(2) Propylæum Maji, pag. *131 et *132; Paralip. pag. 68.

sepultum fuisse testem esse Librum pontificalem; Anastasium et Innocentium, eodem teste, quietem nactos fuisse ad Ursum Pileatum, via Portuensi, adversa omnino Salariæ; Anastasium papam insuper a Paschali I in S. Praxedis delatum; SS. Cyriaci, Largi, Smaragdi corpora, via Salaria prius sepulta, postea a S. Marcello papa, auctore Anastasio aut qui hanc Libri pontificalis partem scripsit, devecta in prædium Lucinæ, via Ostiensi, atque hinc delata in urbem et in diaconia S. Mariæ in via Lata recondita, deinde vero a Paulo I in S. Silvestri monasterio et demum a Paschali I in basilica S. Praxedis composita; Papiam et Maurum via Nomentana sepultos; S. Silvestrum jam pridem in sui nominis monasterium translatum; quo similiter jam devenerat pars reliquorum, alia vero pars in S. Praxedis (1). Nullius itaque frugis illa tabula.

Sergio successit Leo IV; a quo multa etiam sanctorum martyrum corpora e cœmeterio S. Helenæ, via Lavicana, fuisse eruta contendit Boldettius. Verum iterum fucum facit ille scriptor. Alia enim illinc sustulisse non videtur Leo corpora quam quatuor fratrum, Severi, Severiani, Carpophori et Victorini, qui vulgo Quatuor Coronati audiunt. Certe Anastasius (2), quem sibi ducem præivisse indicat Boldettius, nulla alia a Leone reperta

(1) Cfr. Papebrochius, Propylæum Maji, pag. 132.

(2) Vitæ Rom. Pontif. tom. I, pag. 370.

fuisse scribit. Addit quidem eadem occasione translata fuisse in renovatum SS. Quatuor Coronatorum templum corpora SS. Claudii, Nicostrati, Semproniani, Castorii et Simplicii; præterea Marii, Audifacis et Abaci; quin etiam Felicissimi, Agapiti, Hippolyti cum suis famulis numero decem et octo, scilicet Aquilino, Aquila, Prisca, Narcisso, Marcellino, Felice, Symetrio, Candido, Paulina, Anastasio, Felice, Apollione, Benedicto, Venantio, Felice, Diogene, Siberæli, Festo, Marcello, Superantio, Pudentiana, Benedicto, Felice et Venantio; insuper caput S. Proti, S. Cæciliae, S. Alexandri, S. Sixti, S. Sebastiani et S. Praxedis; atque hæc omnia pariter sub sacro altari recondita et collocata fuisse, « et alia » multa, quorum nomina Deo sunt cognita. » Verum manifestum est hæc pleraque non desumpta ex cœmeteriis, sed ex basilicis, in quas jam pridem vecta fuerant. Marius, Audifax, Abacum, tria nomina, quæ in Paschalis I tabula jam legimus; Hippolytus, quocum conjungas famulos, a Paulo I jam dudum in urbem delatus fuerat; ut nil dicam de SS. Proto, Cæcilia, Alexandro, Sixto, Sebastiano et Praxede. Quocirca, nedum faveant Leonis IV gesta Boldettii sententiæ, refragantur ei quam maxime; quum ex illis constet pontifici illi spolianda fuisse suis reliquiis alia templa, ut iis Quatuor Coronatorum exornaret basilicam; quod sane non fecisset, si in cœmeteriis adhuc dormivissent pluries centena millia martyrum.

A Stephano VI anno circiter 896, a Gregorio V aliquanto post annum 995, a Silvestro II anno 1001, a Paschali II anno 1112, a Gelasio II anno 1118, ab Honorio II sex annis post, ab Innocentio II anno 1130, ab Anastasio IV anno 1153, quum adhuc Sabinæ sederet, et a Lucio demum III anno 1184 plura sanctorum corpora ex arenariis in lucem deprompta fuisse narrat deinde Boldettius. Verum quamquam non omnia illa sacra pignora eruta fuerint ex cryptis, quum tamen universa ultra viginti duo non adscendant, nolim his examinandis tempus frustra terere : id unum advertisse satis habens a Paschalis I ævo usque ad exiens sæculum XVI multo pauciora detecta fuisse in suburbanis Romæ sepulcretis martyrum corpora quam singulis postea annis.

Atque his demonstrasse arbitramur fieri non potuisse ut, quum sæculo XVI exeunte cœmeteria romana iterum retecta fuerunt, innumeri adhuc ibidem dormiverint sancti martyres ; et proin indicia, quæ sæpius ad tumulos invenirentur, ad martyria nequaquam pertinere : qua sola animadversione vascula sepulcralia, ad millena sepulcra reperta, e numero signorum martyrii movenda videntur.

CAPUT SEPTIMUM.

QUINTAM PARTEM EORUM, QUORUM TUMULI ORNANTUR VASIS SEPULCRALIBUS, SEPTENNIO MINORES ESSE.

Prælium hactenus prima et decursoria quasi pugna incepimus; verum velitati sumus satis : quocirca prodeat jam in aciem ingens puerorum multitudo, quos martyres fuisse velint necesse est, qui vasa sepulcralia naturali maculata fuisse cruore sentiunt : quod telum acutius quum sit, acrius futurum est certamen.

Jam Tillemontium audivimus et Muratorium, quibus incredibile visum sit puerulos mortis damnatos fuisse; quod argumentum parvi fecerunt adversarii, quod forte non satis ab illis declaratum esset. Quamobrem id ita ornabimus ut ne ejus vim statuamus in recensendis

paucis aliquot nominibus, sed in componendo numero puerorum, ad quorum loculos vasa sepulcralia reperta sunt, cum numero natu majorum, quorum tumuli similibus distinguebantur phialis.

Re quidem vera, ut hæc comparatio plena esset omnino, necessarium foret ut præsto nobis esset index omnium sacrorum corporum quæ ab exeunte sæculo XVI e cœmeteriis ducta fuerunt in lucem, cum exemplari seu apographo omnium inscriptionum, quas iisdem appositi lapides lateresque exhibebant. At vero nuspiam illas tabulas reperire est, tum quod initio minor earum rerum habebatur ratio, tum quod laboris continuatio doctorum virorum vincebat studium. Verbi gratia, intra unum annum 1672 Vincentius Guizzardius, cœmeteriorum curator, e tenebris subterraneis sustulit quater centum viginti octo corpora, quæ ex communibus indiciis æstimavit esse martyrum exuvias et quæ quaquaversum distribuenda et colenda proposuit. Horum plus duæ trientes, scilicet bis centum nonaginta duo, vasis sepulcralibus munita; reliqua palmis et ramis : longe vero maxima pars carebat inscriptionibus, nempe ter centum nonaginta quatuor (1). Et quidem, quum tot tumuli nudi essent et epigraphe omni destituti, minus ægre ferimus incuriam eorum, qui neglexerunt hæc sacra describere monumenta.

(1) Cfr. Boldettius, Osservaz. pag. 248 et seqq.

Verum, dum illa fierent minori sollicitudine et diligentia, retegebantur aliquando multa puerorum sepulcra; qui vel martyres dicendi erant, vel neganda vis et auctoritas, quæ vasis sepulcralibus aliisque id genus rebus inesse perhibebatur. Laudanda potissimum videtur via quædam Callisti cœmeterii; universa fere septa puerilibus sepulcris, quæ lucernis, palmis, vasculis vitreis et fictilibus, rosis insuper et aliquando globulis eburneis erant insignia (1).

Attamen neque hinc neque ex aliis id genus indefinitis rebus aliquid satis accurati extundi potest. Quid ergo? Quum omnes inscriptiones non perierint, conabimur catalogo inscribere eos pueros omnes qui in servatis hactenus epitaphiis septimum ætatis annum non superasse leguntur et qui tamen propter apposita quæ dicuntur vasa sanguinea inter Christi martyres recensiti fuere.

Plerosque adsciscemus ex collectione Marinii, cui titulum fecit, ut capite III est dictum : *Epitaphia martyrum. Item illorum qui ex calice sanguinolento sepulchris adposito martyrum in numero habiti sunt*, et cujus editionem cardinalis Maji (2) debemus curis. Duas in partes dividemus tabulas : quarum altera ea conti-

(1) Bosius, Roma sotterranea, lib. III, cap. XXIII, pag. 215; Aringhi, Roma subterr. lib. III, cap. XXII, pag. 306.

(2) Vett. Scriptt. nova collect. tom. V, pag 361 et seqq.

nebit nomina, de quibus aperte clarisque verbis dicitur vas sanguineum eis appositum fuisse; altera, de quibus id omissum est : quamquam ex titulo manifestum sit ea vasa nuspiam, nisi in aliquot genuinorum martyrum tumulis, desiderata fuisse; idemque suadeat omissio tot inscriptionum, quæ propter palmas aliaque id genus in martyrum laudem factæ fuisse olim habebantur : quin etiam hæc ita esse plane experti sumus, quum apud Boldettium aliosque sæpius repererimus vas sepulcrale iis affixum fuisse tumulis, de quibus nil hujusmodi prodebat Marinius. Atque hinc quoque factum est ut in priori tabula aliquot nominibus dederimus locum, quæ, solo Marinio duce, ableganda fuissent in tabulam alteram. Sed ecce prior index seu

TABULA PUERORUM

qui septimum ætatis annum non excesserant et ad quorum loculos vasa sepulcralia certo detecta fuerunt.

NOMINA.	ÆTAS,			
	ANNI.	MENSES.	DIES.	HORÆ.
Dorotheus	—	6	20	4
Jul. Crispina	—	9	27	—
Vitalianus	—	10	28	—
Ælius	—	11	—	—
Cepasius	1	—	5	—

NOMINA.	ÆTAS.			
	ANNI.	MENSES.	DIES.	HORÆ.
Florentinus.	1	5	8	—
Anastasius	1	6	7	—
Æmilianus	1	7	18	—
Serenilla	1	10	—	—
Megethius	2	—	—	—
Vincentia	2	—	30	—
Benedictus	2	5	18	—
Herculius	2	8	—	—
Formicula	2	11	21	—
Anonyma (1)	3	—	—	—
Vitalius.	3	—	5	—
Aur. Lucilianus	3	3	3	—
Æliana	3	3	19	2
Laurentia	3	5	11	—
Bonifacia	3	6	—	—
Rogatus et Agapitus simul .	7	—	—	—
Felix	4	—	—	—
Martianes	4	—	—	—
Aur. Refrigerius	4	8	—	—
Crescentio	4	8	20	—

(1) Ex Boldettii Osserv. pag. 433.

NOMINA.	ÆTAS.			
	ANNI.	MENSES.	DIES.	HORÆ.
Vernacula	4	10	3	—
Marcellus	5	1	—	—
Crescentio	5	2	17	—
Fellpen	5	4	—	—
Maximus	5	5	—	—
Decentius	5	6	—	—
Octavius	5	6	3	—
Tiberia	5	8	4	—
Rusticianus.	5	9	23	—
Tatacentia seu Cantia. . .	5	10	—	—
Candida.	5	11	—	—
Macrina quæ Jovina . . .	6	9	21	—
Diogenia	6	10	—	—
Bassus	7	—	—	—
Leo	7	—	—	—

Ad horum omnium tumulos vasa sepulcralia inventa fuisse apertis verbis testantur Marinius, Boldettius aliique. Sed, quamquam iidem de sequentibus non tam clare loquuntur, ecce tamen

TABULA PUERORUM

qui septimum ætatis annum non excesserant et ad quorum loculos vasa quoque sepulcralia reperta censenda sunt.

NOMINA.	ÆTAS.			
	ANNI.	MENSES.	DIES.	HORÆ.
Theodota	—	2	—	—
Leo	—	7	4	—
Laurentius Herculius . . .	1	11	15	—
Calcidonius.	2	2	1	—
Januarius	2	8	8	—
Secunda	3	—	—	—
Ursa.	3	—	27	—
Filius S. Feliclæ	3	2	—	—
Justina	3	2	13	—
Romulus	3	8	—	—
Irene	4	6	—	—
Laurentius	3	—	—	—
Val. Crescentina	3	3	23	—
Oradis	6	2	—	—
Filia Secundi et Constantiæ .	6	7	—	—
Flavianus	7	—	—	—

Ambæ illæ tabulæ capiunt universim quinquaginta septem nomina; quæ ut cum reliquis martyribus cœmeterialibus componere liceret, hanc rationem inivimus : supputavimus inscriptiones omnes, quas collegit Marinius, sive expressis verbis addidisset vas sanguineum appositum eis fuisse, sive non : cujus rei satis reddidimus rationem. Omisimus vero eas, quibus ætatis anni adjecti non essent, etiamsi constaret eas esse parentum aut conjugum.

At enim, certo certius parentes et conjuges septimum ætatis annum excesserant : non repugno. Sed quum multa quoque puerorum sint epitaphia, in quibus quot nati essent annos præteritum fuerit, nulla aptior visa est ratio ad id compensandum incommodum, quam si parentes omitteremus et conjuges, quorum vitæ anni tumulis inscripti non sint.

Porro secundum hanc legem ducentos nonaginta fere inscriptiones reperimus, quibus martyrum indicabatur ætas; unde fit ut numerus puerorum, septennio minorum, quorum sepulcra distinguebantur phialis, et numerus universorum, quibus hæc in cœmeteriis apposita erant vascula, eamdem proportionem comparationemque inter se habeant quam numeri LVII et CCXC; seu ut quinta pars eorum, qui martyres judicati sunt propter affixas ampullas et vasa, plus annos septem nati non fuerint.

Verum enim vero hæc proportio nequaquam convenit

cum ullius exspectatione, sed potius cum legibus mortis naturalis, secundum quas quintam tantum christianorum partem ante inceptum octennium morbo aliisque modis Romæ olim sublatam fuisse omnino verisimile est. Ratio enim habenda est conditionis rerum illius ævi. Non nascebantur christiani, ut loquebatur Tertullianus; sed ex gentilibus plerumque parentibus orti et gentiliter educati, quum ad maturam venissent ætatem, tunc primum sacro lavacro initiabantur : quocirca, tametsi verisimile sit tunc temporis Romæ tertiam defunctorum partem pueros fuisse septennio minores (ea scilicet proportione pereunt nunc Parisiis), profecto mirum non est christianos pueros comparate ad fideles natu majores illic numero minori obiisse.

At, inquies, longe minima pars cœmeteriorum explorata est; juxta millena sepulcra, quæ nulla exornabantur inscriptione, vasa sanguinea reperta; insuper sexcenta deperdita epitaphia, quæ detecta fuerunt ad tumulos sepulcrales præferentes phialas. Non obsto, quum ab his neque robur, neque argumenti nostri ratio pendeat. Proportionem quippe investigavimus inter pueros septennes seu septennio minores et reliquos natu majores : hanc ex trecentis prope epitaphiis deduximus, non studio aut de industria congestis, sed cæco potius casu et fortuito collectis a Marinio, nil aliud cogitante quam ut quam plurima conferret : ita ut æstimandum non sit mutatum iri comparationem, etiamsi omnia prorsus

perspecta essent et cognita. Valeret id quidem ad accurationem, sed parum ponderis ipsi ratiocinationi adderet aut demeret.

CAPUT OCTAVUM.

CREDI NON POSSE QUINTAM MARTYRUM PARTEM SEPTENNIO FUISSE MINORES.

Sane ille severior sit qui negarit nullos umquam pueros a christianæ fidei hostibus morte plexos esse: sed id fuisse factum sæpius, id factum quotidie quis credat?

Occurrit cardinalis Majus : « Neque est, inquiens (1), » cur Tillemontio scrupulus oboriatur, propterea quod » sanguinea vascula in sepulchris etiam parvulorum » deprehendantur, quorum innocens ætas a persecu- » tione tyrannorum plerumque tuta videtur. Etenim » plurimos pueros martyrium fecisse, prolatis in me-

(1) Scriptt. vett. nov. collect. tom. V, præf. pag. XXVII.

» dium omnigenis antiquorum temporum monumentis, » demonstravit pontifex maximus Benedictus XIV in » luculenta ad Ben. Veteranum fidei promotorem epi- » stula, Romæ anno 1755 impressa, quam harum rerum » studiosos legere necesse est, necnon in opere de C. SS. » lib. I, cap. XIV; idemque argumentum docte Balutius » attigit in suis ad Cypriani epistulam LXXVII animad- » versionibus. Nuperius autem nonne in Japonia multos » pueros, perseverante erga ecclesiam Dei gratia, mar- » tyrii palmam adeptos scimus? » Hæc ille.

Ad quæ ut respondeamus, initio ducto a Japonibus pueris, quæremus primo an umquam Romæ sævierit persecutio, quantum in Japonia; deinde an in Japonia quinta martyrum pars septennium non excessisset; tertio an umquam Romæ deleti christiani turmatim; quarto an ulla supersint documenta de cæsis Romæ pueris christianis. Ad hæc nostra quæsita si quis ajendum esse arbitratus fuerit, tum demum argumentum a pari, quod vocant, adhibere poterit.

Interea Maji obsecundantes monitis, Benedictum XIV adimus; sed brevi intelligimus nil ab eo juvari Maji partes. Re quidem vera loco citato ex opere de Canonizatione Sanctorum meminit eruditus pontifex trium puerorum qui cum S. Babyla occisi dicuntur, et quarti qui cum S. Aretha; sed simul observat illos S. Babylæ socios certos non esse; si tamen admittas, ex Passionis historia dicas necesse esse primum natum fuisse annos

duodecim, secundum novem, tertium septem. Quocirca quinquennis S. Arethæ comes solus superest.

In literis autem ad Veteranum viginti tres in medium producit idem pontifex, qui in Martyrologio Romano *pueri* dicuntur, *pueruli*, *infantes* atque etiam *infantuli;* ex Annalibus Baronii tres depromit alios, *puerorum* nomine designatos. Verum paulo post animadvertit olim *pueros*, *infantes* atque etiam *infantulos* appellatos fuisse, quos nunc *adolescentes* diceremus; adeoque de pluribus singillatim ostendit eos non tantum septennio majores, sed juvenes fere fuisse; quin etiam jam pridem ostensum a Baronio eos etiam, qui jam clerici facti essent aut monachi, *pueros* et *infantulos* fuisse appellatos (1): sed non est quod hæc fusius prosequar, quum vulgaria etiam lexica satis exemplorum datura sint, ex quibus planum sit quam vagæ significationis sint illa omnia vocabula.

Verumtamen dum de his illo loco disserit Benedictus XIV, duos promit pueros, septennio minores, videlicet S. Cirycum seu Quiricum, trimum S. Julittæ filium, et quinquennem mulieris cujusdam filium, de quo vult mentionem fieri in Actis sanctorum ad diem XXIV martii, quamquam ipse nil tale ibidem repererim; utrumque tamen addas quinquenni S. Arethæ socio.

Baluzium quoque conveniendum esse suasit eruditus

(1) Bullarium, tom. IV, Const. XLIII, num. 14.

cardinalis; verum hujus viri profecto non meminisset Majus, si aliquando conjecisset oculos in Cancellierii de Simpliciæ et Ursæ titulis dissertationem (1). Præterquam enim quod Baluzius ipsemet observat Pontium *puerum*, cum Blandina Lugdunensi passum, quindecim annorum fuisse; nec minori ætate fuisse *puerum* Dioscorum, qui sub Decio multa pro Christo Alexandriæ pertulit; et nobilem *puerum* Carthaginensem, qui, post horrenda a Vandalis inflicta tormenta, in gurgite tandem demersus est, septennem fuisse; ostendit Cancellierius in devia adductum fuisse Baluzium a Prudentio, quum credidit S. Romanum seu potius S. Romani socium martyrem antiochenum, quem continuo post adducit, revera adhuc *lactentem* fuisse, quum *lactens* ille inferius ab ipso Prudentio dicatur septem annos natus, et quidem jam historiam sacram doctus; nec magis prodesse, quem subjungit, Hilarianum *parvulum*, Donatistam (si placet) martyrem, quum adolescentes, ut observatum est, sæpius et maxime ab Afris dicti fuerint *parvuli;* nec majoris ponderis esse, quem ultimo proponit loco, Maximum *infantulum*, a Vandalis affectum martyrio, quandoquidem hic jam monachus esset neque doctrina destitutus.

Nequaquam itaque cardinalis Majus exemit scrupulum, quo laborabat Tillemontius, æstimans quam raris-

(1) Dissert. epist. sopra due iscrizioni, pag. 59.

sime olim puellulos neci datos fuisse; adeoque Cancellierius, qui non tantum Benedicti XIV et Baluzii scripta de puerorum martyrio legerat, sed multo plura, quique longum texuit indicem eorum omnium qui puerili aut juvenili ætate mortem pro Christo oppetierunt, ad eam demum devenit sententiam : « negari non posse puel- » lulos a Romanis RARISSIME morti destinatos fuisse (a). »

Sed stringenda magis argumentatio ex comparatione puerorum, quos ex documentis historicis martyrium obiisse constat, cum universis christianis, quos primis sæculis sanguinem pro fide profudisse novimus : nulla enim est ratio cur inter illos alia sit proportio quam inter pueros et adultos romanos, quorum martyrium vasis sepulcralibus certum esse volunt; adeoque, nisi quinta pars martyrum, quorum agones literis conscripti sunt, septennio fuerint minores, planum est fidem non inesse indiciis, quibus nunc martyres cœmeteriales dignosci volunt.

Quærendum itaque hoc loco foret quot olim puelluli vitam pro Christo dedisse in monumentis antiquis legantur, nisi hoc nos labore levasset sæpius laudatus

(a) Non può negarsi però, che ciò avvenne rarissime volte, *rarissimum fuit*, come hanno avvertito il Tillemont, il Muratori, ed il P. Abate Costanzo (1).

(1) Dissert. epist. pag. 58.

Cancellierius. Hic autem in universis Actis sanctorum quadraginta duos tantum reperit, qui modo qualicumque pueri dici queunt. Qui numerus, si propius inspiciatur, multum decrescit. Necesse enim est ut in tres dispescatur classes : quarum prima eos contineat quorum ætas comperta sit; secunda, qui quot nati essent annos nesciatur; tertia, quos sustulerunt judæi aliive recentiori ævo.

In primo itaque ordine venit S. Agapitus, Prænestinus puer, annorum quindecim; S. Basilissa, puella Nicomediensis, annorum novem; S. Celsus, puer Mediolanensis, annorum trium; S. Eulalia, Emeritensis puella, annorum duodecim; S. Justus, puer Bellovacensis, annorum novem; S. Quiricus, filius S. Julittæ, annorum trium : universi sex.

Secunda series paulo uberior est; in ea recensendi SS. Arthemas Puteolanus, Cyrillus Cæsariensis, Gelasius Placentinus, Goswinus Romanus aut Coloniensis. Justus et Pastor Complutenses, quinque puellæ ex Lesbo, quatuor pueri Byzantini, duo pueri S. Macedonii socii, Maximus Africanus, et tres pueri S. Valentis episcopi socii; universi viginti unus.

Tertiæ demum coronæ adscribendi SS. Albertus Polonus, Andreas Rinnensis, Guilielmus Norwicensis, Hugo Sincolmiensis, Joannettus Coloniensis, Kenelmus Wichelcumbensis, Laurentius de Marostica, Ludovicus Ravensburgensis, Mantius Lusitanus, Reginswindis Lauf-

fensis, Richardus Parisiensis, Sebastianus Novellus Bergomas, Georgius de Summaripa, Hieronymus Patavinus, Simon Tridentinus et Wernherus Vesaliensis; universi quindecim.

Postremam hanc classem, quam ex pueris a judæis fere occisis conflatam diximus, ad argumentum nostrum non spectare nemo non videt. Qui secundo venerunt loco, *pueri* quidem dicuntur; sed quam vaga sit hæc vox, jam satis demonstratum. Qui vero initio recensiti, omnes septennio majores, si Celsum Mediolanensem et Quiricum Iconiensem excipias : adeo ut ex ingenti illo labore, quo Baluzius, Benedictus XIV et Cancellierius in pueros martyres inquisierunt, quatuor tantum prodiverint qui certo septennium non excessissent : Ciryeus seu Quiricus scilicet et Celsus, necnon tertius anonymus, a me quidem quæsitus, nec tamen investigatus, et quinquennis S. Arethæ comes.

Quod si dederimus illos viginti duos, qui pueri dicuntur, sed quorum ætas non satis innotescit omnes septennio fuisse minores; nil tamen hinc proficitur. Quid enim viginti quatuor cum reliqua martyrum multitudine comparati? quid etiam cum iis, quorum non tantum nomina ex martyrologiis cognita habemus, sed quorum etiam gesta literis tradita ad nos usque pervenerunt?

An centesima seu potius millesima pars martyrum historicorum (venia sit verbo) infra septimum ætatis

annum diem obivit? Quis itaque, si ex historia colligatur ne millesimam quidem martyrum partem tam tenera ætate fuisse, admittat Romæ quintam martyrum partem in prima infantia obiisse? Quod si id non admittendum, quale feremus judicium de vasculis sepulcralibus, quæ martyrii indicia esse volunt?

Sed fac hæc omnia ne hili quidem valere : aliunde ostendemus credibile non esse tot Romæ cæsos fuisse pueros.

CAPUT NONUM.

PROPTER ROMANORUM IN PUEROS HUMANITATEM CREDI NON POSSE TOT UMQUAM FUISSE TENELLULÆ ÆTATIS MARTYRES.

Nisi mea me fallat sententia, in tria genera distinguendæ sunt sanctorum martyrum passiones. Quorum primum omnino sincerum est et genuinum, a testibus oculatis conscriptum aut ex actis proconsularibus acceptum : secundum neque omnino fallax, neque mendax est, sed ornatum nonnihil ; ita ut res ipsæ sint veræ, adjuncta autem ita exposita, ut, nisi mentis visusque vires quam phantasiam dixere cohibeas, facile exaggerata et amplificata futura sint omnia : tertium demum genus ex fabulis conflatum est. Atque hanc distinctionem initio hujus capitis proponimus, quoniam qui per-

secutorum vulgo essent mores jam inquirendum est.

Ad hanc rem nullius esse usus postremum passionum genus manifestum est; secundum prudentius negligi, quum necessarium non sit; et certe ad primi generis normam id intellectu redigendum, negabit nemo : quocirca solæ passiones sinceræ, et quæ indubiam habent auctoritatem, adhibendæ.

Atque in his sane tormenta aliquando immanissima martyribus infligi leguntur; sed vix unquam tumultuario procedere judices, aut leges præterire aut formam judiciorum : adeoque, quum recentiori ævo inquirerent viri docti in priscas fori romani leges, non dubitarunt acta martyrum sincera vocare in subsidium.

Et quidem, quamquam reipublicæ status tribus primis ecclesiæ sæculis mutatus fuit sæpius, numquam tamen judices eo egisse inveniuntur modo, quo exeunte sæculo præterlapso tribunalia, quæ Gallis dicta *révolutionnaires* : neque verbum, quo ea res significaretur, habuere umquam romani : quodsi tamen quid præpropere et petulanter actum, id rarissimo exemplo.

Præterea, quantum assidua lectione passionum martyrum discere mihi licuit, proconsules, præsides aliique illius ævi judices ejus fere erant furfuris, cujus genus illud hominum quos *politicos* dicere solemus; quibus nil magis sacrum sit quam lex; qui prorsus non curent justumne sit præceptum an injustum; et qui sæpius, quum omni in Deum careant religione, secundum leges

impias decernere ament, nolentes tamen legum excedere fines modosque.

Quin etiam in martyrum actis genuinis non raro videre est judices, qui pro sua misericordia martyres ab ea, quam illi arbitrabantur, abhortarentur pernicie; qui inviti in beatissimos pugiles sævirent; adeoque qui eos multo haberent honore, maxime si essent episcopi. Hæc sicui negare libuerit, ne a limine quidem acta martyrum sincera salutasse dicendus est.

Quis autem, hæc præ oculis habens, non consentiat Cancellierio (1) scribenti credibile non esse Romanos, etiam quum in christianos sævirent quam maxime, eo usque destitutos fuisse humanitate, ut ne parcerent pueris, quos culpa omni violatæ legis suadebat esse liberos ipsa tenellula eorum ætas?

Quid enim alias servassent constitutionem, qua in gravidas mulieres animadverti vetabatur, ne innocens fœtus cum rea matre periret? Hanc a græcis cum aliis bonis legibus acceperant illi. Inde Ulpianus (2): « Præ- » gnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur » quoad pariat. Ego quidem (addit) et ne quæstio de ea » habeatur scio observari, quamdiu prægnans est. » Et alibi (3): « Imperator Hadrianus rescripsit: Liberam, » quæ prægnans ultimo supplicio damnata est, liberum

(1) Dissert. epist. pag. 58.

(2) L. 3. ff. de pœnis.

(3) L. 18. ff. de statu hom.

» parere; et solitum esse servari eam, dum partum » ederet. »

Atque hanc sive legem voces, sive consuetudinem quæ vim legis haberet, in christianis æque ac in aliis custoditam novimus. Quis enim numquam legit hunc ex SS. Perpetuæ, Felicitatis et sociorum actis locum (1)? « Circa Felicitatem,... cum octo jam mensium suum » ventrem haberet, (nam prægnans fuerat apprehensa,) » instanti spectaculi die, in magno erat luctu, ne propter » ventrem differretur, (quia non licet prægnantes pœnæ » repræsentari,) et ne inter aliquos postea sceleratos » sanctum et innocentem sanguinem funderet. Sed et » commartyres ejus graviter contristabantur, ne tam » bonam sociam, quasi comitem, solam in via relin- » querent. Conjuncto itaque unito gemitu, ad Dominum » orationem fuderunt ante tertium diem muneris. Statim » post orationem dolores eam invaserunt... Ita enixa » est puellam, quam sibi quædam soror in filiam edu- » cavit. »

Neque singularis est illa in S. Felicitate legis observatio. Eadem deprehenditur in confessione S. Eutychiæ, quæ cum SS. Agape, Chionia et Irene Thessalonicæ anno Christi 304 coram præside Dulcetio evangelium non erubuit (2). « Tunc præses : Sed tu, Eutychia, quid

(1) Ruinartius, Acta mart. sincera, pag. 99.

(2) Ibid. pag. 393.

» ais? Idem, inquit illa, et ego dico. Malo et ipsa mori » quam facere quod jubes. Ait ille præses : Num virum » habes? Mortuus, inquit Eutychia, ille est. Præses » vero : Quam pridem mortuus est? Ante menses fere » septem, inquit Eutychia. Tunc ille : Et undenam » igitur gravida facta es? Ex eo, inquit illa, viro quem » dedit mihi Deus. Præses autem : Hortor te, Eutychia, » ut ab ista insania desistere velis et ad humanas cogi- » tationes redeas. Quid ais? Visne regali edicto parere? » Minime, inquit Eutychia, parere volo : sum enim » christiana, Dei omnipotentis serva. Tum ille : Quoniam » Eutychia gravida est, interea servetur in carcere. » Alia omitto.

Inde itaque intelligimus judiciorum ordinem suspensum fuisse a præsidibus; pœnam in aliud tempus dilatam; matrem servatam in carcere donec pareret; nil crudele actum in fœtum; verbo omnia ita procurata ne innocua proles male haberet.

Verum tamen si vasculis sepulcralibus fides adhibenda foret, in pueros, vix sex, septem, novem, decem, undecim menses natos, in anniculos, bimulos, trimulos, gladio animadvertissent iidem, qui tanta sollicitudine prægnantes servarent! Et numerus eorum, qui septennio minores ab iisdem perempti essent, tantus foret ut quintam partem omnium, quos pro fide male mulctarint, æquaret! A barbaris et turcis ne tantam immanitatem exspectes, quanta romanis, populo utique culto

et humano, pueritiæque rationem habenti, tribuenda foret, si vasa sepulcralia inter martyrii signa referenda essent!

At enim, inquient adversarii, nil inhumanius præsidibus et judicibus romanis : fac id probent. Certe Prudentius, ubi pueri illius martyrium qui cum S. Romano periit enarrat, non omni humanitate exuit præsidem. Canit enim (1) :

« Stupuit tyrannus, sub pudore FLUCTUANS ;
» NEC VIM DECEBAT INNOCENTI ÆTATULÆ
» INFERRE LEGIS ; nec loquenti talia
» Furore sinebat efferatus parcere. »

Ille judex tamen crudelis habitus ; atque haud scio an omnium crudelissimus.

(1) Hymnus X de S. Romano, vv. 676 et seqq. ap. Migne, Patrologia, tom. LX, col. 497.

CAPUT DECIMUM.

PER CONSUETUDINEM ROMANIS PROPRIAM CREDI NON POSSE PUEROS MAGNO NUMERO FUISSE OCCISOS.

Porro adeo sacrum erat romanis in pueros acerbius non animadvertere, ut triumviri, teste Dione (1), in proscriptione jusserint « puerum quemdam togam viri-» lem sumere, ut, quasi vir esset, interfici ab ipsis » posset. » Neque tamen ullo umquam ævo magis neglecta jacuere jura; numquam contra fas, contra divinas, contra humanas leges truculentius actum; neque ullo tempore minus de ætate, sexu, dignitate curatum. Nihilominus, dum omnia auderent triumviri, non ausi violentas manus inferre puero, nisi ejus prius

(1) Lib. XLVII, pag. 330.

ætas sub fallaci specie lateret et vestis forma virum mentiretur; sane quod scirent plus horroris habituram apud romanos pueri cædem quam immensas reliquas, quibus urbs maduit, occisiones.

At enim per reipublicæ conversionem mutati romani mores; minus tetræ et turpes visæ trucidationes puerorum; regnantibus quippe imperatoribus, omnia in pejus prolapsa. Equidem negare nolim corruptelam majorem collapsa quam stante republica fuisse; neque affirmare; quum dubius hæreret Seneca, temporis sui castigator acerrimus. Id unum satis nobis, Alexandro Severo imperante, romanos prisco adhuc aversatos fuisse odio puerorum occisiones; cujus rei testem esse Dionem, qui, quum illo floreret ævo, æstimavit maxime ad conflandam triumviris infamiam valituram necem illius pueri, in virum mutati.

Testis alter est Appianus, qui medio ante sæculo, undecimo scilicet Antonini anno, historias suas conscribebat. Triumvirorum proscriptionem late prosecutus est, coloribus non parcens, ut quam funesta fuerit et immanis constaret. Nec cædem puerilem omisit, quin etiam coronidis loco his explicuit verbis (1) : « Pervenit » autem proscriptio et ad pueros orbatos parentibus, » ut eorum fortunæ præda fierent. Quorum unus dum » ludum literarium commeat, interfectus est una cum

(1) De B. C. lib. IV, num. 30.

» pædagogo, qui puerum complexu protegens divelli » non potuerat. Atilius vero, qui tum primum virilem » togam sumpserat, sacrorum faciendorum causa ex » more templa obibat, deducentibus amicis. Interim » adscripto repente tabulis nomine adolescentuli, amici » et servi diffugere : ipse desolatus, et a tam splendida » modo pompa destitutus, ad matrem se contulit. Ac » ne illa quidem admittente præ metu, post frustra » imploratam matris misericordiam non ausus cuiquam » alii se committere, in montem profugit : unde fame » in planitiem coactus descendere, a plagiario captus et » in ergastulum detrusus est. Inde puer delicatus, labo- » rem non ferens, evasit in viam publicam, sicut erat, » compeditus, seque transeuntibus centurionibus pro- » didit; atque ita denique obtruncatus est. »

Atque hæc, judice Appiano, summa fuit crudelitas et extremum malorum. Verumtamen ii pueri decimum saltem, aut duodecimum seu etiam quartum decimum agebant annum, et juventuti erant propinquiores ; dum complures cœmeteriales martyres jacuissent adhuc in cunis, paucos nati menses, aut qui certe nescivissent quid sit inter dexteram et sinistram ! Neque semel tantum aut bis tam fere, tamque inhumane in pueros christianos fuisset sævitum, sed toties ut quinta pars martyrum septennio essent minores! Quis hæc sustineat? quis credat?

CAPUT UNDECIMUM.

QUONIAM VIRGINES PRIUS VULGO VITIARENTUR QUAM NECARENTUR, CREDIBILE NON ESSE MULTAS PUELLULAS FUISSE MARTYRES.

Adde inter quinquaginta septem adumbratos martyres, quorum nomina dedimus et quorum ætatem septennium non prætergressam accurate indicavimus, viginti quatuor puellas recenseri; quas ne facile mortem cruentam obiisse admittamus alia vetat lex aut consuetudo.

Suetonius scilicet, Tiberii immanem describens sævitiam : « Viginti, inquit (1), uno die abjecti tractique : » inter eos pueri et fœminæ. Immaturæ puellæ, quia » more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ

(1) In Tiberio, cap. XCI.

» prius a carnifice, dein strangulatæ. » Pertinent hæc forte ad Sejani filiæ fata, quamquam universim hæc de Tiberii crudelitate, etiam post illius ministri necem aucta, perhibeat Suetonius. Certe Dion, de Sejani domus excidio disserens : « Secundum edictum, ait (1), » extincti omnes liberi. Puella, quam Claudii filio » desponsaverat, corrupta prius a carnifice, quod virgi- » nem aliquam in carcere perimi nefas sit. » Ejusdem supplicii meminit Tacitus : « Placitum, inquit (2), » posthac ut in reliquos Sejani liberos adverteretur; » vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per » priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, » filius imminentium intelligens, puella adeo nescia, » ut crebro interrogaret quod ob delictum et quo tra- » heretur; neque facturam ultra, et posse se puerili » verbere moneri. Tradunt temporis ejus auctores, quia » triumvirali supplicio affici virginem inauditum habe- » batur, a carnifice, laqueum juxta, compressam; exin, » oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias ab- » jecta. »

Atque de his multiplex est interpretatio. Volunt alii certa lege statutum fuisse ut prius vitiarentur puellæ quam supplicio afficerentur; adeo ut fas quidem esset puellam morte plectere, sed nefas eam plectere inte-

(1) Lib. LVIII, pag. 628.

(2) Ann. lib. V, cap. IX.

gram. Alii prohibitum omnino impuberes capitis damnare, earumque corruptionem effugium tantum fuisse, quo prohibitio illa ad speciem servaretur. Neque consentiunt quamdiu durarit istud institutum : alii enim non ad Diocletiani ævum continuatum æstimant; alii contra. Dissentiunt quoque an omnes virgines vim sint passæ : aliis ajentibus, quod, si id probrum de aliqua narrari omittatur, nulla vis sit in hac omissione; aliis negantibus, quod puellæ tantum honesti loci isti ludibrio expositæ fuerint.

Universum id ego argumentum, quanta diligentia potui, scrutatus, in hanc deveni sententiam initio illicitum fuisse omnino impuberes seu virgines sive laqueo, quod supplicium triumvirale appellabant, sive gladio aliove cruciatu mortis pœna plectere; postea paulatim usu receptum ut fraus legi fieret, et puellas vitiatas prius et virginitatem corruptam, quam extremo supplicio afficerentur; quin etiam jussum fuisse ab imperatoribus ut ne ulla virgo christiana prius morti traderetur quam violata esset; id tamen aliquando non factum, vel quod miraculo illam contumeliam averteret Deus, vel quod virgines, aliis exantlatis tormentis, maderent sanguine, et horrorem nedum voluptatem injicerent libidinosis; et demum usque ad Constantini ævum illa in more fuisse posita. Atque hæc certis testimoniis manifesta facienda jam sunt.

Porro nefas primo fuisse impuberes et virgines morte

afficere; easque, ut fraus legi fieret, ante necem corruptas fuisse æque ac puer ille virili toga, ut quasi vir esset, indutus fuerit, nescio quis negare possit, intellectis Dionis, Taciti et Suetonii testimoniis.

Verum quæ fraus legi fiebat extra ordinem quasi et contra morem, ubi gentilium puellarum res agebatur; tamquam ex consuetudine et præcepto usurpata est, quum christianæ virgines in discrimem venissent. Cujus rei ab exeunte sæculo I usque ad triumphalem Constantini in urbem ingressum exempla et testimonia suppetunt continua. Initio tamen rarius, quod pauciora supersunt scripta.

Tertullianus, qui Apologeticum anno 198 scripsisse videtur : « Cruciate, inquit (1), torquete, damnate, atte- » rite nos : probatio est enim innocentiæ nostræ iniqui- » tas vestra. Ideo nos hæc pati Deus patitur. Nam et » proxime, ad lenonem damnando christianam potius » quam ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud » nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari. »

Circa annum 210 passa Alexandriæ S. Potamiæna : « Porro Aquila (id enim judicis nomen fuit) cum eam » toto corpore sævissime excruciasset, ad extremum » interminatus ei esse dicitur, se illam gladiatoribus » violandam traditurum (2). » Probris dein et obscœnis

(1) Apologeticus, cap. L, ap. Migne, Patrologia, tom. I, col. 534.
(2) Eusebius, Hist. eccl. lib. VI, cap. V, pag. 207.

verbis a plebe onusta; ne tamen turpiora pateretur, servata a S. Basilide; et pice demum ambusta.

Lampsaci passa S. Dionysia virgo, imperante Decio, circa medium sæculum III. Quum itaque constanter unum confiteretur Deum, « tunc proconsul tradidit eam » duobus juvenibus corrumpendam... Juvenes ergo » acceptam castissimam Dei puellam duxerunt ad suum » hospitium. Cumque usque ad mediam noctem insi- » sterent ut ei vim turpitudinis inferrent, marcescebat » cupiditatis eorum libido. Circa autem mediam noctem » quidam splendidus juvenis apparuit eis, illuminans » totam domum. Illi vero, timore percussi magno, ceci- » derunt ad pedes mundissimæ puellæ (1). » Id nuntiatum proconsuli, qui jussit ut decollaretur.

Ab hoc vero tempore non exempla tantum suppetunt singularia, sed universalia exstant asserta, quibus certa sit consuetudo stuprandi prius virgines quam extremo afficerentur supplicio; ita ut, si quæ servaretur ab hac contumelia integra, a generali lege excepta censenda esset. Id ex S. Cypriano planum.

Quum enim anno 252, ut plerisque videtur, funestissima pestis Africam invasisset, scripsit beatus carthaginensis præsul celeberrimum de mortalitate librum, quo fideles doceret quot quantaque bona huic morbo adjunxisset Deus, quum morte liberentur homines a multis

(1) Ruinartius, Acta MM. sincera, pag. 160.

gravioribus malis. « Improvidi, inquit (1), et ingrati » sumus, fratres dilectissimi, ad divina beneficia, nec » quid nobis conferatur agnoscimus. EXCEDUNT ECCE IN » PACE TUTÆ CUM GLORIA SUA VIRGINES, VENIENTIS ANTICHRISTI » MINAS, ET CORRUPTELAS, ET LUPANARIA NON TIMENTES; pueri » periculum lubricæ ætatis evadunt, ad continentiæ » atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt; tor- » menta jam non timet delicata matrona, metum per- » secutionis, et manus cruciatusque carnificis moriendi » celeritate lucrata. » Qui locus, quum totus ad præce-dentes persecutiones respiciat, et quæ tunc singulorum ordinum maxima et ordinaria pericula fuissent, et quæ deinceps, quum denuo in christianos impietas sæviret, futura præsentiscerentur explicet; probe considerandus est. Pueris, ut id obiter notem, vix aut ne vix quidem, auctore Cypriano, imminebat acerbis illis temporibus gladius, sed lubrica (ut omni ævo) insidiabatur ætas. Discrimen ingens inter matronas et virgines. Illas carnificis cruciatus manebant : neque virgines minis liberæ : sed, quod jure merito multo magis horrebant, corruptelæ et lupanaria eis parata.

Neque consuetudine tantum, sed præcepto imperatorum hanc contumeliam ævo diocletianæo virginibus irrogatum fuisse sincera SS. Didymi et Theodoræ virginis Acta testimonium est. « Judex dixit : Jusserunt

(1) De Mortal. cap. xv, ap. Migne, Patrologia, tom. IV, col. 592.

» imperatores, vos quæ estis virgines, aut diis sacrifi-
» care, aut injuria meritorii provocari. Theodora re-
» spondit : Puto non ignorare te, quoniam Dominus
» voluntatis inspector est; nam voluntatem castitatis
» Deus aspicit. Quod si autem hoc facere cogis, non est
» meritorium, sed violentia. Judex dixit : Cognoscens te
» ingenuam esse, et parcens speciei tuæ, misereor tui.
(Quæ verba considerent ii, quibus placet honestæ con-
ditionis puellas cubiculorum aut fornicum turpitudini
magis fuisse expositas.) Moneo te ne contemnas me.
» Nihil enim proficis per Deos omnes. Imperatores sta-
» tuerunt, vos, quæ estis virgines, aut diis sacrificare,
» aut injuria meritorii provocari. Theodora respondit :
» Jam ante dixi tibi, quoniam Deus voluntatis est
» inspector. Præscius enim est et inspector cogitatio-
» num. Unde si cogor hoc facere, non arbitror esse for-
» nicationem. » Declaravit dein S. Theodora se sperare
Christum servaturum suam virginitatem, minante judice
« se jussionem dominorum imperatorum adimpleri fa-
» cturum ad exemplar ceterarum mulierum. » Post tri-
duum « judex dixit : Per Deos, timens jussionem impe-
» ratorum intendo sententiam : ne, si non fecero, ipse
» crimen inveniar. Quoniam autem ipsa in meritorium
» te tradidisti, jam nunc didiceris, eo quod idolis
» immolare noluisti. Sine, videamus, si custodiet te
» Christus... Perducta est itaque ancilla Dei in merito-
» rium; » sed liberata a christiano, Didymo nomine, qui

militares ad eam detulerat vestes. Cujus rei causa quum hic ad mortem raperetur, ei se addidit Theodora et martyrii facta est particeps (1).

Et quidem, quoniam illo ævo multo magis vigebat pessima illa consuetudo PROPTER JUSSIONEM IMPERATORUM, hinc forte factum est ut multæ virgines spontaneam tunc subiverint mortem; nam quum viderent sibi post perditam pudicitiam nihilominus pereundum, æstimabant satius esse ante acceptam hanc contumeliam ultro vitam ponere : non temperantes sententiam « e duobus » malis minus esse eligendum » hac altera « non esse » facienda mala ut eveniant bona (2); » quamquam S. Hieronymus (3) scripsit : « In persecutionibus non » licet propria perire manu, absque eo ubi castitas peri- » clitatur. »

Et quidem explicat illa fœminea sensa S. Joannes Chrysostomus in homilia de S. Pelagia, quæ ne contaminaretur e fastigio domus præcipitem se dederat : « Mu- » lieres ipsæ, inquit (4), propter naturæ suæ conditio- » nem, ad injuriam accipiendam paratiorem, talem » mortis rationem sibi excogitarunt. Nam si licuisset et

(1) Ruinartius, Acta MM. sincera, pag. 396 et seqq.

(2) Cfr. Nicephorus Callistus, Hist. eccles. lib. VII, cap, XIII, tom. I, pag. 455.

(3) Commentar. in Jonam, cap. I, v. 12, ap. Migne, Patrologia, tom. XXIV, col. 1129.

(4) Tom. II, homil. XL, num. 11, pag. 585.

» virginitatem ad finem usque servare, et martyrii » coronam percipere, ad judicium ire non recusassent. »

Neque alia fuit sententia illarum Antiochensium, quarum facinus explicat Eusebius (1) : « Nonnulli, » inquit, periculum vitantes, priusquam caperentur et » in insidiatorum manus inciderent, ex sublimibus » tabulatis præcipites se dederunt; propter impiorum » malitiam mortem lucro deputantes. Quædam etiam » sanctissima fœmina,... postquam... sese ac filias in » militum laqueos incidisse sensit, ad inopiam consilii » redacta, filias allocuta est, et quanta ipsis mala a » militibus imminerent exposuit : omnium vero malo- » rum gravissimum ac maxime intolerabile esse stu- » prum... His dictis, idem omnes consilium amplexæ; » cum ad medium itineris pervenissent, veniam a mili- » tibus petunt ut tantisper de via deflectere liceret. Quo » impetrato, compositis honeste ac decenter vestibus, in » præfluentem se fluvium conjecerunt. » Harum nomina prodidit S. Joannes Chrysostomus in earum encomio, scilicet Domninam, Bernicem et Prosdocem; quod inter Acta martyrum sincera excepit jure merito Ruinartius.

Aliæ vero aliter suo pudori consulebant. Quam primum enim judices stuprum eis minitabantur, conviciis eos lacessebant, in furorem acturæ : quo perciti eas statim haberent crudeliter, ita ut corporum suorum

(1) Hist. eccles. lib. VIII, cap. XII, pag. 305.

horror petulantiam impudicorum facile restingueret.

Exemplo esto Gazensis virgo, quæ, teste iterum Eusebio (1), « in muliebri corpore virilem animum gerens, » cum stupri comminationem non sustineret, jacto » adversus tyrannum convicio, quippe qui tam sævis » judicibus regendas provincias commisisset; primum » quidem flagris verberata est, » et alia sustinuit deinceps supplicia, dum tandem igne absumpta est.

Non alia erat mens sanctæ Soteris; « quæ cum esset » decora valde (verba Ambrosii Mediolanensis (2) re- » cito)... immolare jussa non acquievit : quam perse- » cutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera virgo » dolori cederet aut pudori. At illa ubi audivit hanc » vocem, vultum aperuit, soli invelata atque intecta » martyrio; et volens injuriæ occurrit, vultum offerens, » ut ibi martyrii fieret sacrificium, ubi solet esse ten- » tamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulcri- » tudinis periculum integritatis auferri. »

Aliæ usæ sunt dolo et astu, probante Nicephoro Callisto (3); sed timeo ut cum sana de mendacio doctrina illa conveniant.

(1) De Martyribus Palæstinæ, cap. VIII, pag. 331.

(2) De exhort. virgin. cap. XII, num 82, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 361; cfr. lib. III de Virginibus, cap. VI, num. 38, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 232.

(3) Eccles. hist. lib. VII, cap. XIII, pag. 455 et 456.

« Aliæ, cum raperentur ad stuprum, vitam citius » quam pudorem corporis sui prodere sustinuerunt, » ut testis est Eusebius (1) de Alexandrinis. Neque alibi aliter : eodem enim auctore (2), « sexcentæ μυριαι » quoque aliæ, cum stupri minas, quas provinciarum » rectores ipsis intentabant, ne auditu quidem ferre » potuissent, omnia cruciatuum, tormentorum et capi- » talium suppliciorum genera pertulere. »

Plerasque tamen inter lenonum manus venisse quis dubitat? Certe Eusebius, de iisdem Alexandrinis, ubi virtutem explicat Ædisii juvenis Tyrensis, hæc tradit (3) : « Tandem apud Alexandriam cum judicem... vidisset... » nunc quidem viros graves variis afficientem contume- » liis, nunc mulieres eximia castitate præditas; atque » etiam virgines Deo devotas lenonibus ad omne genus » turpitudinis dedentem;... accessit ad judicem. »

Atque his, puto, satis declaratum est jussisse Diocletianum et quos sibi imperanti adsciverat socios, ut virgines corrumperentur prius quam cruentas experirentur manus, atque huic jussioni, quantum possent, fecisse satis judices.

Insurgit adversus hæc Mamachius (4), clamitans

(1) Eccl. hist. lib. VIII, cap. XIV, pag. 312.
(2) Ibid. pag. 313.
(3) De Martyr. Palæst, cap. V, pag, 326,
(4) Orig. et antiq. christ. tom. III, pag. 367.

« conflari virginibus sanctis, quæ martyres decesse-
» runt, insignem injuriam. » Verum non ita sentiebat
S. Lucia, quæ, ut in Breviario Fratrum Prædicatorum
æque ac in Romano (1) legitur, Paschasio præfecto
respondit : « Si invitam jusseris violari, castitas mihi
» duplicabitur ad coronam; » neque S. Basilius, hæc
» aperte tradens (2) : « In persecutionibus prostitutæ
» virgines propter fidem sponsi,... aliæ vim passæ, non
» consentiente voluptati anima, quamvis tamquam
» mortua corpora viderentur injuriam pati, incorruptam
» animam nec ad voluntatem stupratoris conformatam,
» sponso suo et fide et virginitate splendidiorem exhi-
» buere : in quibus voluit forte Dominus ostendere, eas
» confessionem omni circa corpus exteriori decori præ-
» ferre; unde nec animam negando corruperunt, nec
» corporibus, dum voluptati non consentiunt, ullatenus
» corruptæ; » neque S. Augustinus, scribens ad Victo-
rianum presbyterum (3) : « Cum enim animus nulla
» consensionis turpitudine maculatur, etiam carnem
» suam defendit a crimine;... omnisque illa violentia
» non pro corruptionis turpitudine, sed pro passionis
» vulnere deputabitur; » et ad Honoratum episco-

(1) Ad 13 decembris.

(2) Liber de vera virgin. cap. LII, Opp. tom. III, pag. 636.

(3) Class. II, epist. CXI, num. 9, ap. Migne, Patrologia, tom. XXXIII, col. 427.

pum (1) : « Violentia non violatur pudicitia, quando » voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed » sine consensione tolerat quod alius operatur; » neque sanctus Thomas (2), jure merito censens virginis titulum et laudem non negandam puellæ, vim passæ.

Objicit dein Mamachius nil præcepisse Diocletianum, sed permisisse tantum ut pro lubitu agerent judices. Quibus plane contradicit Actis S. Theodoræ, in quibus judex sæpius repetit « jussisse imperatores virgines aut » diis sacrificare, aut injuria meritorii provocari; » neque in arbitrio judicum id positum fuisse ostendunt hæc alia illius judicis verba : « Per deos, timens jussionem impe- » ratorum intendo sententiam : ne, si non fecero, ipse » crimen inveniar. »

At, inquit Mamachius, « si lex ea imperatorum Dio- » cletiani ætate invalescebat, qui tandem in Actis » S. Theodoti (3) legeremus : Audiens autem Theote- » cnus (judex) quod constupratæ non essent, noluit » amplius inhonestæ voluptatis causa eis esse molestus. » Sed eodem jure objicere potuisset ad lupanaria non fuisse reductas, postquam semel divino numine a lascivorum impetu liberatæ essent, SS. Agnetem, Luciam, Serapiam, Irenem, Theodoram aliasque, de quibus S. Basi-

(1) Class. III, epist. III, num. 7, ap. Migne, Patr., tom. XXXIII, col. 1014.
(2) In 4. dist. 49. 9. 5. a. 3.
(3) Ruinartius, Acta MM. sincera, pag. 342.

lius scripsit (1) : « Cum ferveret persecutionis immanitas, prostitutæ virgines, propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditæ, aliæ corporibus inviolatæ durarunt; eo scilicet, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus in earum carne irritos arguente, et integra earum corpora non sine prodigio et virtute custodiente. » Hæc enim etiam fuit conditio septem virginum, quarum fortuna in Actis S. Theodori enarrantur, et quæ « missæ erant ad juvenes quosdam, turpem injuriam, ut dicebantur, passuræ; » sed, implorata Christi ope, senior ipsarum, Tecusa nomine, precibus ita flexit illorum unum, qui ceteris videbatur impudentior, ut « statim adolescentes, posito libidinis æstu, soluti etiam ipsi in lacrymas, virginibusque compatientes, abiverint. » Hæc quum intellexisset judex, « noluit amplius inhonestæ voluptatis causa eis esse molestus. » Quid mirum? abunde sane imperatoriis jussis satisfecerat. Quomodo ergo hinc extundet Mamachius imperatores non jussisse ut stuprarentur virgines?

Ultimo demum loco opponitur non legi omnes virgines impudicis juvenibus prædam fuisse datas. Sed primo animadvertendum est de nulla omnino legi eam fuisse violatam (2), non quod nullæ vim sint passæ (paulo

(1) De vera virgin. cap. LII, Opp. tom. III, pag. 636.

(2) Cfr. Guyetus, Heortologia, pag. 153.

supra audivimus S. Basilium asserentem pluribus vim reapse fuisse illatam), sed quod studiose hæc probra tacuerint historici : ita ut hoc loco argumentum negativum, quod alibi sæpe maximi est ponderis, nihil omnino valeat, præcipue quum paucis tantummodo verbis martyrum narrantur gesta; secundo nonnullas mirabili Dei providentia servatas fuisse illibatas, quarum nomina hagiographi (quoniam opera Dei revelare et confiteri honorificum est) non prætermisere literis tradere : atque ex earum quoque fatis nil posse colligi adversus eam, quam ex certissimis documentis adstruximus, legem aut consuetudinem; tertio alias ab hoc probro fuisse immunes, quod præmaturo furore perciti judices eas equuleo et flagellis torsissent, ita ut ad eas accedere horruisset quotusquisque libidinosus : neque hinc validum adversus sententiam nostram confieri posse argumentum; quarto demum plures esse, quæ mulieres γυναικες dicantur in actis, et quæ proinde potius habendæ sint uxoratæ aut viduæ quam virgines : ita ut nil mirum sit eis inflictam non fuisse contumeliam, quæ virginibus fere parata esset. Atque ad unam ex quatuor his classibus pertinent martyres fœminæ omnes, quarum passiones inter Acta martyrum sincera leguntur et quæ apertis non dicuntur verbis ad lupanaria damnatæ. Integrum omnino volumen examinavimus.

Negare tamen nolim vicisse aliquando in judicum animis honestatis et humanitatis sensa, ita ut iniquam

consuetudinem et jussionem posthabuerint : sed hæc quæ ex conjectura, neutiquam ex historia affero, extra ordinem censenda sunt; neque officiunt præcipuo nostro argumento, quum certe humaniores illi judices multo magis ab infanticidiis abstinuerint.

Porro ex his, quæ hactenus disputavimus, manifestum fecisse mihi videor communem et ordinariam virginum conditionem fuisse ut prius vitiarentur quam cruentam mortem oppeterent, atque hanc consuetudinem, nedum abrogata fuerit secundo sæculo, ut vult Baronius (1), Diocletiani ævo magis quam antea umquam valuisse.

Jam, quæso, an cum viginti quatuor puellis cœmeterialibus, quarum martyrium vase sanguineo constare volunt et quæ, si umquam ad supplicium ductæ fuissent, crebro interrogassent quod ob delictum et quo traherentur; neque facturas ultra, et posse se puerili verbere moneri : an, inquam, cum illis eodem actum modo ac cum Sejani filia, quæ a carnifice, laqueum juxta, compressa? Quid? non cum viginti quatuor tantum, sed cum innumera puellularum multitudine? Satis enim ostensum, adumbratis illis vasis sanguineis (siquid ponderis haberent) argui undecimam partem universorum martyrum puellulas fuisse, quæ septimum non superassent ætatis annum. Quis talia voraverit monstra?

(1) Martyrolog. Roman. ad 3 sept. not. *c*.

CAPUT DUODECIMUM.

PARUM PROBABILES ESSE MODOS QUIBUS PUERI DICUNTUR FECISSE ROMÆ MARTYRIUM.

Verum enim vero sensere satis adversarii quantum difficultatis habeat assertio puellulos, qui ne rei quidem agi poterant quod quæ dicerentur non satis intelligerent, pro fide periisse.

Etenim, licet ex eis nullus ad maximam eorum multitudinem respexerit, sed de singularium tantum dixerit martyrio, non parum quotusquisque impeditum se expertus est, ubi probabili conjectura enarrandum erat quo pacto cruentam palmam capessivissent innocentes illæ animæ.

In priscis quippe monumentis soli Cirycus et Celsus trimuli, quinquennis S. Arethæ socius et nescio quis

anonymus ante septimum ætatis annum martyrium fecisse leguntur. De anonymo illo nil a me fuisse repertum jam dixi. De Celso nil prorsus innotescebat S. Ambrosii ævo; et quæ deinceps tradita, omnes fatentur fabulas esse. Restant itaque soli S. Cirycus et S. Arethæ socius; quorum historia adversarios juvari posse non arbitramur. Utut id est, utile fuerit eam ex Actis sinceris proposuisse, initio ducto a S. Ciryco.

Iconio Seleuciam fugerat S. Julitta cum filio trimulo; ubi capta est et coram Alexandro præside se christianam esse palam professa fuit. « Ira itaque percitus Alexander » tolli ab ea puerum jussit ac ad se adduci, quippe » elegantem ac necdum per ætatem quidquam scientem » quod ex proposito mentisque liberæ sit : matrem vero » composito corpore ac distento crudis nervis immaniter » cædi imperavit. Vi autem abs strenuæ martyris sinu » avulsum puerum, totumque in matrem gestientem, » nec ab ea ocellos avocantem, carnifices prætori adhi- » bent... Accepto prætor manu puero, blande deliniens, » a fletu cohibere omnino nitebatur, genibusque impo- » situm accipere osculo conabatur. Puer vero, intentis » in matrem luminibus, prætorem abs se submovebat, » ac caput avertebat; manibusque obnitens, prætoris » faciem unguiculis scalpebat; velut denique castæ tur- » turis pullus, æmulam sanctus Cirycus vocem pronun- » tiavit, eamdem ipsam matris prædicationem edens ac » clamans : Christianus sum. Calcibus quoque judicis

» latus petebat : solet enim fere infantilis ætas hujusce-
» modi gestibus incomposite agi, iraque constrepere.
» Quamobrem excandescens agrestis illa fera (nec enim
» homo nuncupandus sit, qui nec in rudem ac innoxiam
» mitescat ætatem, eique indulgeat) pede arreptum e
» sublimi solio puerum terræ allidit. Præclari vero mar-
» tyris cerebro ea in confessione ad graduum angulos
» colliso, gravique ictu contrito, circum late tribunalis
» area cruore opplebatur; infansque divina soboles in
» Dei manus spiritum reddebat (1). » Hæc cædes anno circiter 305 patrata.

Viden' ut martyrium fecerit S. Cirycus? Nil mali initio volebat ei Alexander; sed blande deliniebat, captabat oscula, a fletu cohibere nitebatur. Quodsi terræ allidit, fecit id iræ impatiens, quod puerulus suæ non responderet amicitiæ. Quæ tamen res adeo extra ordinem visa est, ut scriptor prætorem vocet *agrestem feram, nec hominem nuncupandum, qui nec in rudem ac innoxiam mitesceret ætatem* : an Romæ quotidiana hæc feritas et inhumanitas agrestis, ubi quinta pars martyrum necdum per ætatem quidquam scibat quod ex proposito mentisque liberæ esset?

Quinquennis S. Arethæ socius multo minus juvat adversarios, quum non a romano præside aut imperatore mulctatus fuerit, sed a Dunaan ferocissimo Persarum

(1) Ruinartius, Acta MM. sincera, pag. 478.

tyranno. Ceterum ejus martyrium simile passioni S. Ciryci. Quum enim ejus mater ad rogum raperetur, ille se istuc contulit; regemque in throno sedentem adiit, matrem, matrem clamans, et se quoque martyrem fieri velle indicans. « Attendens autem rex verba » pueri : Quid est autem hoc, inquit, quod dicis mar- » tyrium... Pro Christo, inquit, mori et rursus vivere. » Sed quis est hic Christus, rursus dicit rex. Puer » autem : Veni, inquit, ad ecclesiam et eum tibi osten- » dam. Interim autem cum matrem adspexisset, flens » dixit : Sine, sine me venire ad matrem; video enim » eam trahi et male affici a lictoribus. Rex autem : » Cur huc, dixit, venisti, matre relicta? Sed sis hic » nobiscum et dabo tibi quoslibet fructus pulcerrimos... » Ille vero... : Non hic manebo, matrem desidero. Nam » arbitratus te esse christianum, veni pro ea rogaturus. » Quum judæum autem invenerim, tecum nec volo qui- » dem versari, neque sustineo a te aliquid accipere... » Quidam autem ex iis qui circumsistebant, excogi- » tantes aliquid sapientius, censebant ut infans abdu- » ceretur ad reginam... Verum pueri rursus intelligentia » superavit illorum calliditatem : et nec eis quidem » omnino ad hæc dabat responsum, sed vehementer » solum vocabat matrem... Cum eam autem vidisset » injici in ignem, vehementius inflammatus visceribus, » audet statim puer aliquid fortius; et cum stetisset » ad genua tyranni Dunaan, se inclinans acriter ipsum

» mordet in femore. Ille autem, simul atque sensisset » morsum et fuisset conturbatus, eum repente abjicit » et eum tradit cuidam ex senatu, ut ab illo aleretur » maxime judaïce et abjuraret christianismum. Et ille » quidem abibat, accepto puero... Interim autem puer, » eo inscio, cursu contendit ad matrem et insilit in » mediam fornacem etc. (1) » Quæ siquis diligenter considerarit, impiissimum Dunaan non pronuntiabit tam inhumanum quam finguntur præfecti, præsides et judices romani.

Verum, inquies, mediis in turbis motibusque popularibus periere Romæ tenelluli martyres. Ast, quibus auctoribus veteribus, hi motus comperti sunt et turbæ? Quid refragantur ipsi tumuli fictitiis illis martyribus positi? Ecce enim ut epitaphium S. Aurelii Refrigerii, cujus sepulcro vasculum rubricatum affixum erat, aperte testatur quadriennem hunc puerum *domi* mortuum esse (2):

AVRELIVS REFRIGERIVS
VIXIT ANNORVM IIII
MES VIII. SETIMV KALE
FEBRAS DOMI

Leo vero, quem ex catalogo nostro exclusimus quod

(1) Ap. Surium, Vitæ Sanctorum ad 24 oct. Passio S. Arethæ, numm. 23 et 24, tom. V, pag. 1040 et 1041, edit. 1580.

(2) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 366.

aliquot mensibus septennium excederet, et ad cujus tumulum ampulla, colore rubro tincta, itidem reperta est, dicitur *inter parentum manus* obiisse (1) :

NOMINE LEO DEFVNTVS
ANNOR. VII MESORV X.
INTER MANOS PARENTOR.
VIII. KALLENDAS JANVARIAS

At ita obierit inter parentum manus, ut perierit cum ipsis parentibus et universa domo. Quid tot alii cum parentibus non perierunt, sed ab iisdem acceperunt titulos? Paucos ex pluribus accipe :

AVR. LVCILIANVS QVI VIXIT ANNIS III.
M. III. D. III. ANIMÆ DVLCISSIMÆ
PARENTES FECERVNT IN PACE
MORITVR V. IDVS IVN. (2).

DVLCISSIMO FILIO MARCELLO
FECERVNT PARENTES QVI
VIXIT ANNIS V. MEN. I. IN PACE (3).

ROGATO ET AGAPITO DVOBVS FRATRIBVS INNOCENTIBVS
QVI BICXERVNT INTER SE ANNOS
VII. BENE CESQVENTIS PARENTIS FECERVNT (4).

(1) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 387.
(2) Ibid. pag. 365.
(3) Ibid. pag. 389.
(4) Ibid. pag. 401.

VITALIO IN PACE
AN. III. DIEBVS V
PARENTES FECERVNT
MERENTI (1).

ORADIS DVLCIS NATA PIA QVE
VIXSIT ANNIS SEX MESES DVOS
BASSVS FILAVRENTIA FILIÆ (2).

VAL. CRESCENTINÆ QVESQVENTI IN PACE
QVÆ VIXIT ANN. V. M. V. D. XXV
PARENTES FEC. DP. III. KAL. IVL. (3).

FELLPENI INNOCENTI. Q. V. ANNIS
V. MESES IIII. VENE QVESQVENTI PARENTES FECE
RVM (4).

SECVNDVS ET CONSTANTIA
FILIE POSVIT QE VIXIT AN. VI. MESIS VII (5).

Incidit olim in hanc difficultatem Leonardus Adami, quum sequens sancti Vitalini epitaphium, juxta quod vas sepulcrale pro more repertum fuerat, explicaret :

DONATVS ET FILICIIA
SE VIBVS FECERVNT
CUM FILIVM SVVM VITALI
NE QVI VISI ANVS VIII

(1) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 410.
(2) Ibid. pag. 443.
(3) Ibid. pag. 451.
(4) Ibid. pag. 433.
(5) Ibid. pag. 455.

Mirum in modum his motus fuisse videtur ille auctor; nam primo (1), ut hinc se expediret, statuit S. Vitalinum oblatum fuisse prætori, quum ita sæviret persecutio et omnia tam propere agerentur, ut ne cogitaretur quidem de sistenda pro tribunali universa familia; paulo vero inferius (2), factum a S. Vitalino martyrium, quum quam minime sæviret persecutio : secus non intellectum iri, quomodo parentes colligere potuissent corpus et sanguinem.

Verum si in uno martyre cœmeteriali tantopere hæret Adamius, et quidem octo annos nato, quid disputabit de Aurelio Luciliano, Rogato, Agapito et Vitalio trimulis? quid de tot aliis, qui, quum solum eorum nomen tumulis inscriptum est et corpuscula seorsim sepulta, singularem pro fide pugnam pugnasse procul a parentibus dicendi forent (3)? Quomodo in hostium venerunt manus? an duce pædagogo? an bajula nutrice? an comite alterutro parente? Sed quid puelluli passi, adulti libere abire jussi? Hæccine explicabantur aliquando?

Præterea Dorotheum, Juliam Crispinam, Vitalianum, Ælium et Leonem, qui omnes paucos tantum vixere

(1) Osservazioni che servono ad illustrare l' epitaphio di S. Vitalino martire, pag. 37.

(2) Ibid. pag. 40.

(3) Memoria sopra il corpo di S. Vitaliano M. pag. 14.

menses et sepulcrum suum vase rubricato muniri meruerunt, quis declarabit martyres? Verum hi, si adversarios audias, omnes suo sanguine fidem signarunt anno 257, quum magister et archisynagogus Ægypti Valerianum imperatorem, ut ex S. Dionysio refert Eusebius (1), « initiationes impuras et abominanda maleficia et sacri» ficia exsecranda peragere jussit; miseros infantes » mactare; immolare liberos infelicium parentum; re» cens natorum rimari viscera; Dei figmenta atque » opera discerpere ac detruncare; quasi hoc facto ad » summam felicitatem esset perventurus. » Sed quis illos docuit infantes, quos discerpsit et detruncavit Valerianus, christianos fuisse? Certe neque S. Dionysius, neque Eusebius, quorum silentium potius contrarium innuit. Ex quo præterea didicerunt fonte parentes illorum infantium potuisse corpora colligere et sanguinem, eaque sepulturæ christianæ mandare? Et quæ demum archæologi romani repererunt in catacumbis lactantium corpuscula discerpta et detruncata? Sed dentur hæc omnia : quis tamen martyres dixerit illos puellulos, quos ex S. Dionysio constat non odio fidei, sed vana religione fuisse necatos?

Hæc itaque omnia effugia videntur et vanæ conjecturæ : quas siquis tamen probare voluerit, ad exordium disputationis nostræ eum reducemus; ubi diximus potis-

(1) Hist. eccles. lib. VII, cap. X, pag. 256.

simum causæ cardinem in eo verti, quod quinta pars universorum martyrum romanorum septennium non excessisse dicenda foret, si rubefacta vasa verum probumque martyrii signum esset.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE VI ARGUMENTI DUCTI EX VASIS, QUÆ DICTA SUNT SANGUINEA ET DIU POST CONSTANTINI VICTORIAM SEPULCRIS FUERE APPOSITA.

Quamquam quod hactenus etiam atque etiam adstrinximus argumentum, tam firmum nobis videatur et ad probandum validum vasa, quæ habita sunt sanguinea, martyrii esse non posse indicia, ut nihil ei deesse putemus; non tamen id unicum nobis suppetit neque præcipuum est. Plus enim roboris in eo positum arbitramur quod istiusmodi ampullæ repertæ sunt affixæ sepulcris, ævo Diocletiani posterioribus; quin etiam sæpius his quam sepulcris eadem ætate anterioribus.

Quanti vero ponderis hæc futura sit probatio, ex multiplici capite patet. Adversarii enim, qui huc usque pro

sepulcralibus phialis, quasi martyrum essent reliquiæ eorumque passionis testimonium, pugnarunt, contraria positione tamquam telo acutissimo utebantur. Provocabant enim dubios quoscumque ad indicandum vel unum tumulum, qui post Constantini triumphum cum vase sanguineo positus esset. Qua provocatione dum manifestum facere sperarent illa vasa persecutionum ævo omnino esse propria, eorumque proinde originem et causam ex illorum temporum sæva conditione repetendam esse; simul fatebantur eos, qui aliter sentirent, jam non ex vana opinione, sed ex certissima veritate res æstimare dicendos fore, si vel uno exemplo demonstrarent id ampullarum genus etiam post deletum Maxentium sepulcris fuisse affixum.

Præterea, quum de palmarum significatione decertaretur, eadem utrinque argumentatio adhibita fuit; aliis affirmantibus id signum nulli post Constantini victoriam loculo fuisse insculptum, aliis secus omnino statuentibus et negantibus proin ramos martyrii indicium esse. Quæ controversia ita fuit agitata, ut altera pars sibi causa cadere videretur, altera vero vincere, si unum certum reperiretur exemplum, Constantino posterius. Satis non est verba dedisse, ecce testimonia.

Scaccho, cui aliquandiu cœmeteriorum cura demandata fuit, quum persuasum haberet palmas non esse martyrii probum indicium, sententiam suam certissimam sibi fecisse visus est, proposito uno S. Luciferi Calaritani

epitaphio. Scripsit itaque (1) : « In lapide, quem reper-
» tum Calari in Sardinia asserunt, ad sepulchrum Lu-
» ciferi quondam episcopi calaritani, qui schismaticus
» decessit, una cum ipsius nomine crux duabus palmis
» incisis visitur; unde per palmam non martyrium solum,
» sed aliam illam de mundo ac dæmone victoriam etiam
» christianos significare voluisse colligimus. »

Neque aliter Papebrochius; qui, ut ostendat palmas martyrii non esse signum, satis habet epitaphium Flaviæ Jovinæ, filiæ Flavii Jovini consulis, in quo palmæ quoque deprehenduntur, invocasse, ut hinc se scribere posse antumet (2) : « Quæ omnia auferunt suspicionem
» martyrii ex illis ramis. »

Neque alio argumento opus esse visum fuit Mabillonio (3), ut monogramma Christi et piscis figuram martyrii symbola esse negaret, et sanctorum martyrum numero excluderet Exspectatum, CUJUS DEPOSITIO EST SUB DIE VIII KAL. JUNII DOMINO LEONE JUNIORE, « siquidem Leone
» juniore imperante ulla fuisse martyria verisimile non
» est. » Idemque censet de columba insculpta tumulo PUERI VICTORINI, QUI BIXIT ANNUS XXXVII ET FLAVIIS LUPICINO ET JOBINO CONSULIBUS VII IDUS JUNIAS DECESSET DE SÆCULUM. Lupicini scilicet et Jovini consulatus incidit in annum 367,

(1) De cultu et vener. SS pag. 668.

(2) Acta SS. ad 20 Maji, pag. 224*.

(3) Epist. Eusebii Rom. Opp. posth. tom. I, pag. 233 et 234.

imperante Valentiniano seniore, cujus tempore nulla erat Romæ persecutio, nulla martyria.

Neque Boldettius propugnat Victorinum et Exspectatum, quamquam ex cœmeteriis romanis erutos, atque hunc Niciam, illum Turones missos, genuinos martyres esse, et chrisimo, pisce columbave athletas christianos designari; quibus signis illi inter martyres a cœmeteriorum custodibus recensiti fuerant; sed totus est in demonstrando S. Luciferi epitaphium diu post ejus mortem fuisse scriptum et Jovinam illam non Jovini consulis filiam esse, sed aliam longe diversam : quam controversiam lubentes omittimus; quoniam id unum nobis hic utile est, utrinque eam ita agitatam fuisse, ut pateret defensores et adversarios in eo convenisse, palmæ signum, et alia quæcumque, si umquam sepulcris addita fuerint post redditam ecclesiæ pacem, nullius fore roboris ad testanda martyria.

Similiter quum sæculo superiori quam vehementissime ferveret controversia de antiquitate chrisimi seu monogrammatis Christi ☧, aliis contendentibus id ortum ex visione Constantini, aliis id multo vetustius esse; antiquitatis majoris patroni eo potissimum usi sunt argumento, quod inscriptum id reperiatur tumulis virorum, quos ex ipso epitaphio martyres fuisse constat : adeo persuasum erat nullos post datam a Constantino ecclesiæ pacem Romæ fuisse martyres, nisi paucissimos sub Juliano; quo ratiocinio victum se fassus est Zaccaria, qui

acerrime propugnaverat monogramma ante Constantinum non fuisse in usu.

Demum, quum Muratorius, probante Benedicto XIV, vicit causam, eo potissimo usus est argumento ad demonstrandum nil certi ex palmis colligi posse, quod inscriptæ sint tumulis, positis anno 327, 331, 335, 338, 343, 349, 358, 360, 363, 364, 366, 368, 369, 370, 375, 380, 381, 385, 384, 386, 400, 407, 408, 425, 430, 442, 450, 456 seu 457, 490, 493, 503, 541 et 568. Porro quis admittat, quærit Muratorius, his omnibus annis cæsos fuisse martyres, quin tamen ullam horum mentionem fecerint historici?

Neque aliud nostrum argumentum est : quocirca, si jam nulla vis palmæ inesse habeatur ad testanda martyria, quod ea tunc insculpta sit tumulis quum nulla amplius fierent martyria ; quam auctoritatem habebunt vasa dicta sanguinea, si ea post Constantini ævum non tantum fuerint in usu, sed etiam magis quam antea ?

Atque ita reapse esse jam demonstrandum est.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

VASA, DICTA SANGUINEA, PLURIBUS SEPULCRIS APPOSITA FUISSE POST CONSTANTINI VICTORIAM, QUUM SUMMA PAX VIGERET.

Ut autem positionem et assertionem illam nostram certam faciamus, primo exhibebimus loco epitaphia, quibus vasa sanguinea apposita fuisse clarissimis verbis testantur Marinius et secundum eum Majus. Quam classem aperiat S. Liberæ tumulus :

Romæ e cœmeterio urbis cum vasculo sanguineo (1).

BENEMERENTI
IN PACE LIBERA
QVE BIXIT AN. VIII
NEOFITA DEP. DIE
III. NONAS MAIAS CON.
GRATIANO. III. ET EQVITIO.

(1) Mai, Vett. Scriptt. nov. collect. tom. V, pag. 438, num. 9.

Vix itaque hæc puella octo nata erat annos ; paulo ante mortem sacro fonte abluta fuerat, quæ quippe dicatur neophyta. Deposita fuit feria II post dominicam III a paschate seu die 5 maji anni urbis 1127, Christi 374, Gratiano III et Equitio coss.

Quis vero credat tunc Christianorum fuisse cædes? Initio enim illius anni Valentinianus I scripsit ad Simplicium, Romæ vicarium, legem qua catholici protegerentur et expellerentur schismatici Ursiniani et Luciferiani : quod imperiale rescriptum tantum valuit, ut deinceps S. Damasus papa omnia pro vera pietata servanda integra Romæ posse videretur (1). Eodem anno ineunte Flavius Eupraxius, pientissimi Gratiani fautor eximius, præfectus urbi erat; quam præfecturam, ut ex lege ad eum data constat, certe usque ad diem 14 februarii tenuit. Quamdiu eam deinde servarit, incompertum; nisi quod ex altera lege manifestum est ei jam successisse Claudium die 21 maji ejusdem anni (2), adeoque maxime verisimile est obiisse S. Liberam, quum hic Claudius urbi præfectus esset. Verum, ut testis est Ammianus Marcellinus (3), « Claudio regente urbem » æternam, Tiberis,... effusione imbrium exuberans

(1) Cfr. Tillemont, Mémoires ecclésiastiques, S. Damase, art. VIII, tom. VIII, pag. 404.

(2) Corsinius, De præfectis urbis, pag. 259 et seqq.

(3) Rer. gest. lib. XXIV, cap. VI, tom. II, pag. 209, edit. Bipont.

» nimia et supra amnis speciem pansus, omnia pæne con-
» texit... Hic ipse præfectus egit admodum quiete,
» nullam seditionem super querela justa perpessus : et
» instauravit vetera plurima. Inter quæ porticum exci-
» tavit ingentem, lavacro Agrippæ contiguam, Eventus
» Boni cognominatam, ea re, quod hujus nominis prope
» visitur templum. » Atque hæc omnia brevissimo tempore; quum anno sequenti præfectura urbis obtigisse videatur Magno (1), cujus laudes S. Ambrosius fuse prosecutus est (2).

Tunc autem, licet pars senatus thus adhuc diis deabusque adoleret, ita vicerat apud reliquos cives romanos et passim in universo imperio religio christiana; ut Gratianus, quum eodem illo anno 375 Valentiniani I locum occupavit, pontificatus maximi insignia repudiare potuerit impune; quamquam hinc imperatoria dignitas pendere censeretur.

Anno 383 ei suus successit frater Valentinianus II; qui postquam a tyranno Maximo spoliatus et quinquennio post a Theodosio Magno restitutus fuisset, totus a S. Ambrosii ore pendebat : cui rei acceptam passim referunt pacem, qua Italia hoc ævo est fruita, et moderationem, qua populos rexit Valentinianus.

(1) Corsinius, De præfectis urbis, pag. 262.

(2) De officiis, lib. III, cap. VII, num. 46, ap. Migne, Patrologia, tom. XVI, col. 159

Verumtamen tunc quoque Romæ humatos fuisse christianos cum vase sepulcrali, testis est S. Fortissimæ tumulus; de quo hæc Marinius et Majus (1):

Romæ apud præf. sacr. pont. e cœm. S. Sebastiani cum vase sanguineo. A. 1786.

A ☧ Ω

DEP. IN P. XV KAL. SEP.

☧ FORTISSIMA CONS. ☧

TIMASIO ET PROMOTO

PC

Processerunt hi consules anno 389; eodemque anno, die 13 junii, triumphum egit Romæ Theodosius, cum parvulo suo filio Honorio et collega Valentiniano. Quantum id romanum augustorum iter veræ pietati profuerit, nemo umquam dixerit. Complures tunc ex summa nobilitate ad fidem conversi; idola divinis orbata honoribus; prostibula magnam partem sublata; pœnæ adulterarum correctæ; forum romanum nimiis feriis expeditum; manichæi, hortante Siricio papa, ejecti Roma; et alia id genus. Quæ dum ageret Theodosius, nullæ Romæ fuisse turbæ leguntur, sed immortales potius imperatoribus redditæ gratiæ. Versati fuere in urbe augusti usque ad initium septembris (2); ita ut, si quid ad martyria de-

(1) Scriptt. vett. nov. collect. tom. V, pag. 433.

(2) Cfr. Muratori, Annali d'Italia, ad an. 389, tom. II, pag. 534 et seq.

monstranda valerent vasa dicta sanguinea, Fortissima sanguinem fudisset pro vera fidè, dum Theodosius et Valentinianus in æternum idololatriam opprimerent et sinceræ religionis vindicarent jura : iterum quis credat?

Sed redeamus ad Maji seu Marinii inscriptiones (1) :

E cœm. Cyriacæ ad loculum martyris ingens tabula reperta A. **1791**, *nunc Clarii in cathedrali.*

AGAPENI BENEMERENTI QVÆ VIXIT ANNOS PLVS MINVS
XXVI. Q. FECIT CVM MARITO ANN. IIII. DEPOSITA
IN PACE XVII. KAL. SEPT. FL. STILICONE VC. CONSS.

Non addidit Marinius vas sanguineum ad hunc tumulum inventum fuisse ; verum Morcellius, qui integrum de hoc pignore sacro edidit opusculum (2) ejusque sæpius alibi meminit, planc testatur vas sanguineum S. Agapæ loculo fuisse affixum (a). Verum, denuo quærimus, quis credat illam fuisse martyrem? Stilico enim, qui anno 400

(a) Che ella martire morisse, quell' ampolla del sangue di lei tinta ancora e rosseggiante, che sempre le fu affissa al sepolcro, come autentica avente in se improntata l' autorità de' fedeli, indubitabile testimonianza ne fa a tutti, e non ammette eccezione (3).

(1) Vett. Scriptt. nov. collect. tom. V, pag. 418.

(2) Comento sull' iscrizion sepolcrale della santa Martire Agape, Brescia, 1795.

(3) Ibid. pag. 24.

consul processit, vir probe catholicus erat, S. Ambrosio amicus et christianæ religionis propagandæ studiosus potius quam vel minimum hostis. Eodem tempore ecclesiam gubernabat multa pace S. Anastasius I, et pientissimus imperator Honorius nil negligebat in Occidente ut idololatriæ tolleret reliquias; et quidem paulo ante ne quis impia faceret sacrificia et ne templa ingrederetur vetuerat, et pristina sacerdotum gentilium privilegia abrogarat prorsus : quæ omnia collegit Morcellius ipsemet (1). Re quidem vera Nicomachus Flavianus junior, qui a mense saltem junio anni 399 usque ad exeuntem annum 400 præfecturam urbanam gessit (2), gentilium sacris addictus erat; sed nemo umquam somniavit sanguinem christianum ab eo fuisse fusum : quin etiam Prudentius, qui anno circiter 404 duobus libris Symmachum omnesque ejus fautores (quos inter Nicomachi) perquam acriter exagitavit, quod aram victoriæ restaurari cuperent, ne verbum quidem fecit de patrata ulla circa id tempus cæde christianorum.

Quemadmodum Marinius et Majus omiserunt mentionem facere de vasculo sanguineo, quod S. Agapæ sepulcro adhærebat, sic satis habuerunt scribere de S. Petrii tumulo (3) :

(1) Ibid. pag. 23.

(2) De Rossi, l' Iscrizione della statua di Nicomaco Flaviano seniore dichiarata, pag. 38.

(3) Vett. Scriptt. nov. collect. tom. V, pag. 397.

Romæ in S. Mariæ transtib. e cœm. Callisti ad tumulum martyris A. 1744.

A ☧ Ω

CL. MAMERTINO ET FL. NEVITTA CONSS.
DVLCISSIMO FILIO PETRIO QVI VIXIT ANN. XII
M. I. D. XV. DEP. PRID. KAL. SEPT. IN PACE
EVTYCHES PATER FECIT.

Verum enim vero Benedictum XIV narrantem audivimus a se post editam anno 1741 Muratorii dissertationem interrogatos fuisse cœmeteriorum curatores et ex eorum ore intellectum tunc temporis sola vasa sanguinea martyrii testes ab illis adhiberi. Certum itaque et compertum sit ad S. Petrii, pueri duodennis, tumulum phialam cruore (quem dicunt) conspersam inventam fuisse.

Ast Mamertinus et Nevitta consules processerunt anno 362, quum Julianus imperator versaretur in Oriente. Profecto tunc Roma suos habuit martyres, quos studiose collegit Baronius (1); sed nullus inter eos S. Petrius, neque alius tantillæ ætatis puer.

Quum S. Rufinæ sepulcrum anno 1792 detectum fuerit, eoque ævo nemo inter martyres recenseretur, cujus tumulo sanguinea ampulla non adhæreret, tuto statuere licet id fallax martyrii indicium illius quoque virginis loculo affixum fuisse. Ita de eo Marinius et secundum eum Majus (2).

(1) Annal. eccles. ad an. 362, num. 249 et seqq
(2) Scriptt. vett. nov. collect. tom. V, pag. 446.

Romæ apud præf. sacrar. pont. ex cœm. Cyriacæ ingens tabula litteris minio illitis reperta A. 1792 ad loculum martyris.

INFANTIA ETAS VIRGINITATIS INTEGRITAS MORVM GRABTAS FIDEI
ET REVERENTIÆ DISCIPLIA HIC SITA RVFINA IACET QVE VIXIT ANNIS XXI
DEPOSITA IIII. NONS AVG. FVSAGRIO ET EVCERIO CC. SS.

Id est : *Infantiæ ætas, virginitatis integritas, morum gravitas, fidei et reverentiæ disciplina* laudes ejus erant. *Hic sita Rufina jacet, quæ vixit annos* XXI ; *deposita* IV *nonas augusti, Syagrio et Eucherio coss.;* ubi animadversione dignum est virginem annos natam XXI dici adhuc versari in « infantiæ ætate. »

Porro Flavius Syagrius et Flavius Eucherius consulatum gessere anno 381, dum S. Damasus, tot martyrum præco, pontificatu romano ornaretur, Gratianus et Valentinianus II imperium Occidentis tenerent, et Valerianus præfectus esset urbi, Potitus vicarius. Atque tantum abfuit ut hic annus Romæ turbidus fuerit, ut intra eum Valentinianus II indulgentiam paschalem, olim a patre Valentiniano I concessam, confirmarit, jubens ut festis paschalibus carcere liberarentur, qui graviorum criminum rei non essent (1). Verumtamen eodem illo anno Rufina, quæ tot in tumulo oneratur

(1) Cfr. Muratori, Annali d'Italia, ad an. 381, tom. II, pag. 495 et seqq.

laudibus (non tamen martyrii), cruentam obiisset mortem! quis credat?

Ad annum 338 pertinent ambo qui sequuntur tumuli, et de quibus hæc Majus seu potius Marinius (1) :

Romæ in musæo vaticano reperta in cœm. urbis ad tumulum martyris ingens tabula uncialibus litteris.



Et hæc (2) :

Velitris in cathedrali ecclesia S. *Clementis cum corpore S. Exuperiæ M. e cœmeterio Cyriacæ.*



Anni vero 397 est tabula sequens (3) :

Romæ in Mus. vaticano e cœm. urbis ad tumulum martyris. (*In schedis sacrar. pontif. dicitur lapis fuisse ad loculum martyris.*)

(1) Vett. Scriptt. nov. collect. tom. V, pag. 445.
(2) Ibid. pag. 430.
(3) Ibid. pag. 403.

BENE MERENT....
IN PACE SATYPO....
QUI VIXIT ANNOS
P. M. XLV CÆSARIO
ET ATTICO COSS.

Vix aut ne vix quidem mihi dubium est quin cum ternis his inscriptionibus repertum fuerit vas sepulcrale; quum jam diu detectæ videantur, postquam cœmeteriorum curatores declarassent Benedicto XIV sola vasa sanguinea sibi martyrii indicium haberi. Porro anno 358 Constantius tenebat imperium et Memmius Vitrasius Orfitus præfecturam urbanam; quod tempus valde quietum fuisse videtur, quum tum Liberius papa, damnato S. Athanasio et aliis id genus patratis, Romam redire permissus sit, eoque venerit IV nonas augusti prædicti anni 358 (1).

Non minus quietus annus 397, cujus initio Honorius imperator legem dedit, qua ecclesiarum, clericorum et maxime Romani pontificis privilegia et præcipue ab extraordinariis oneribus immunitatem confirmavit (2). Tunc autem Romæ fuisse martyres nemo hucusque somniarat.

Atque hæc tandem claudimus duobus epitaphiis, qui-

(1) Cfr. Pagius, Critice in Annales Baronii, ad an. 357, num. 14.

(2) Cfr. Gothofredus, Chronol. codic. Theodosiani, tom. I, pag. CXLVIII, et seqq.

bus additum fuisse vas sanguineum suspicamur potius quam remur. Prius est anni 392 (1) :

D. N. ARCADIO. AVG. II ET. RVFINO. CON
SS. IDVS. SEPTEMBRIS. DEPOSITVS. PUER
HERACLIVS IN. PACE. QUI BIXIT. ANNVS. VII
MENSIS. V. DIES. XXVI. CELERINVS. ET. LEASE
VIVIS. SIBI. ET. FILIO. DVLCISSIMO LOCV FECERUNT.

Alterum vero anni 409 (2) :

ANCHIS. INNOCENTI. QVI. VIXIT. ANN. I. D.
XX. DEPOSITVS. IN. PACE. DIE. IIII. KAL. IANVAR.
DD. NN. HONORIO. VIII. ET THEODOSIO. VV. CC. COSS (4).

Occiso Valentiano die 15 maji anni 392, reliquum tempus nonnihil inquietum fuit et senatores gentiles molitiones suas inceperunt denuo ut victoriæ ara restauraretur; sed ne umbram quidem martyrum tunc Romæ fuisse visam uspiam apparet. Multo minus anno 409, quum prorsus jaceret in urbe idololatria.

(1) Marini, Lettera di un giornalista ad un suo amico, Modena, 1790, pag. 31, ap. Cancellieri, Dissert. epist. pag. 68.

(2) Marini, ibid. pag. 32, ap. Cancellieri, ibid. pag. 68.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

QUOD POST CONSTANTINI VICTORIAM ALIBI FUERINT MARTYRES, IDEO VERISIMILE NON FIERI ROMÆ ETIAM FUISSE.

Quanti illa epitaphia sint momenti ad evertendam sententiam eorum, qui vasa sepucralia indicia martyrii habent, jam satis diximus. Sed quid ad hæc adversarii?

Ante Lupium animadverterat nemo vasa sanguinea apposita fuisse tumulis post Constantini victoriam, atque idcirco tanta ut vidimus loquebantur confidentia. Verum quum Severæ epitaphii illustratori celeberrimo oblatum fuisset a Pellegrinio S. Liberæ monumentum, ad quod (ut idem ille referebat) apposita fuerat phiala cruenta : « Dicendum, inquit (1), Liberam hanc neophy-

(1) Epitaphium Severæ, pag. 97.

» tam, vel ab Arianis, vel a paganis rusticis cæsam popu-
» lari tumultu : neque enim, anno æræ christianæ 374,
» quo consules processere Gratianus Augustus III atque
» Equitius, quidquam movit auctoritas publica contra
» catholicos. »

Simili conjectura Morcellius, quum ad explanandum S. Agapæ titulum supra relatum operam contulisset, usus est; adductis præterea exemplis martyrum, qui imperantibus christianis principibus crudelem mortem fuere passi. Sed quum uterque eruditissimus vir singulare tantum specimen cognoscerent, facilius arbitrati sunt eo discedendum non esse a populari de vasis sanguineis seu sepulcralibus opinione.

Utut est, quum ea quæ de recentioribus martyribus collegit Ruinartius, Morcellio fucum fecisse videantur, juverit ea hoc recitasse loco.

« Non adeo repressa fuit, inquit ille (2), Christianorum
» imperatorum auctoritate gentilium adversus ecclesiam
» rabies, quin interdum, data occasione per seditiosos
» tumultus, nonnullos ex fidelibus interimerent. Hæc
» potissimum contingebant, si quando celebria idolo-
» rum fana christiani destruere aggrederentur, aut cum
» aliqui promovendæ christianæ religionis studio accensi,
» idolorum cultus vanitatem populis inculcare cona-
» rentur.

(1) Act. MM. sincera, pag. 607.

» Exprobrat Augustinus Coloniæ Suffectanæ seniori-
» bus sexaginta homines innocentes apud eos interfectos
» fuisse ob idolum Herculis effractum. Hi sub marty-
» rum titulo die 30 augusti in romano Martyrologio
» memorantur. Longe gravior fuit Alexandrinorum com-
» motio anno 390. Cum enim Theophilus, ejus urbis
» antistes, a Theodosio imperatore obtinuisset Bacchi
» templum in ecclesiam transformari, atque ea occa-
» sione paganorum mysteria ridicula detegerentur, quæ
» episcopus de industria publicabat : ea de re commoti
» gentiles, conspiratione, inquit Sozomenus lib. VII,
» cap. XV, inter se facta, in christianos irruerunt, mul-
» tique eorum occisis et vulneratis, Serapium, id est
» serapidis templum, occuparunt; unde erumpentes,
» multos christianorum comprehensos, et tormentis
» excruciatos sacrificare cogebant. Siqui vero id facere
» detrectarent, eos aut in crucem agebant, aut fractis
» cruribus aut alio mortis genere perimebant. Quam
» seditionem diutius perseverasse post Rufinum scribit
» Sozomenus. In ea vero innumerabiles christianos
» vulneratos aut occisos fuisse affirmat Socrates lib. V,
» cap. XVI. His auditis, imperator beatos quidem pronun-
» tiavit eos, qui interempti fuerant ex christianis, utpote
» martyrii gloria decoratos; sed statim sancivit, ut
» omnia gentilium templa Alexandriæ destruerentur.
» Horum martyrum memoriam recolit Martyrologium
» romanum die 17 martii; quem sane titulum, his

» saltem qui sacrificare renuentes, excruciati ac occisi » fuerunt, nemo denegabit. Alios ejusmodi tumultus » memorat ibidem Sozomenus, de quibus fusius agere » non vacat. » Brevia tamen hæc sunt, neque nobis omittenda.

Subdit scilicet Sozomenus : « Pro templis suis acriter » dimicabant in Arabia quidem Petræi et Areopolitæ; » in Palæstina Raphienses et Gazæi ; in Phœnice vero » Heliopolitæ; apud Syros denique cives urbis Apameæ » quæ ad Axium fluvium sita est : quos quidem accepi » ad tutelam templorum suorum sæpenumero usos esse » præsidio Galilæorum et rusticorum hominum ex vicis » qui sunt circa Libanum : tandemque eo audaciæ pro- » rupisse, ut Marcellum ejus loci episcopum interfece- » rint. »

Quibus addendum SS. Sisinnium, Martyrium et Alexandrum anno 397 Anauniæ in diœcesi tridentina interfectos fuisse et combustos a rusticis, quod ecclesiam ædificassent et christianam fidem inter eos sererent (1); necnon S. Telemachum monachum anno 404, quum ex Oriente Romam venisset, et in amphitheatri arenam descendens gladiatores compescere conaretur, a furente plebe lapidibus occisum fuisse : qua occasione Honorium imperatorem penitus id spectaculum abole-

(1) Acta MM. sincera, pag. 609 et seqq.

vit (1). Verumtamen dubium non est quin S. Telemachi nex æque pravis christianis ac gentilibus imputanda sit.

Quid vero commodi ex illis omnibus sperant adversarii? Equidem arbitror nil magis facere adversus eorum opinionem quam hæc exempla. Primo enim, quum illi omnes in mediis tumultibus perierint, nullius ex iis quorum martyrium describatur, sanguis colligi potuisse videtur : etenim S. Telemachus lapidibus obrutus est; SS. Sisinnius, Martyrius et Alexander tracti et combusti; S. Marcellus similiter in ignem conjectus : quid autem sanguis martyrum cœmeterialium tam facile servatus est?

Deinde illorum omnium mentionem fecerunt scriptores ecclesiastici atque historici. S. Telemachi cædes, quamquam Romæ facta, ad Theodoreti venit aures; SS. Sisinnii, Martyrii et Alexandri trucidatio innotuit non Simpliciano tantum Mediolanensi et Joanni Chrysostomo Constantinopolitano, ad quos literas ea de re dedit Vigilius Tridentinus, sed S. Augustino quoque Hipponensi, S. Gaudentio Brixiensi, qui reliquias etiam suscepit, Gennadio aliisque (2). Et demum alexandrinos martyres laudarunt Socrates, Sozomenus, Nicephorus Callistus et Theophanes (3). Contra nemo omnino

(1) Cfr. Pagi, Critice ad an. 404, num. 2 et seqq. Tillemont, Empereurs, Honoré, not. XVIII.

(2) Cfr. Ruinartius, pag. 608.

(3) Cfr. Acta SS. tom. II Martii, pag. 515.

umquam meminit martyrum illorum cœmeterialium; quamquam complures de rebus ecclesiasticis romanis sæculi IV scripserunt; ita ut nullius ævi accuratiorem et certiorem habeamus historiam. Unde ergo perpetuum de romanis martyribus istud silentium? Neque negligebant illo tempore Romani novos sanctos colere. Quum enim, imperante Constantio, multa ab Arianis passus esset S. Eusebius Romanus, quem medio fere mense augusto adhuc colimus, nec tamen vitam pro vera fide posuisset, post mortem naturalem sanctorum catalogo inscriptus est et coli cœptus, quamquam tunc vix soli martyres ecclesiasticis celebrarentur officiis. Quocirca quæro quomodo factum sit ut S. Eusebius quasimartyr cultus fuerit, et cœmeteriales martyres in kalendaria recepti non fuerint.

Tertio, quoties in majoribus civitatibus aliquid acerbius contra christianos actum, toties occasione usi sunt imperatores christiani ut novum gentilium sacris vulnus infligerent. Post motus enim alexandrinos « urbis tem- » pla, utpote quæ populo seditionis causam præberent, » solo æquari jussit » Theodosius, ut testis est Sozomenus (1). Postquam vero in S. Telemachum facta est lapidatio, Honorius « admirandus imperator hunc qui- » dem invictissimorum martyrum numero adscripsit, » tetrum vero gladiatorum spectaculum sustulit, » ut

(1) Hist. eccl. lib. VII, cap. XV, pag. 724.

literis tradidit Theodoretus (1). Ast quæ latæ leges post commentitiam cædem S. Liberæ? quæ templa clausa post necem S. Fortissimæ? Quid gravius statutum in gentiles post S. Agapæ funus? quid post Petrii, Rufinæ et Quintæ? quid, ut Heraclium mittam et Anchim, post Exsuperiæ et Satyponi trucidationem?

(1) Hist. eccl. lib. v, cap. xxvi, pag. 234.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

MIRUM IN MODUM EXAGGERARI VIRES IDOLOLATRARUM ROMÆ AD FINEM SÆCULI QUARTI.

At his non stetit Morcellius : ut S. Agapæ martyrium probabile faceret, contendit anno 400 Romæ multas adhuc fuisse vires idololatriæ; cives magnam fuisse partem idololatras; senatum idololatris fuisse plenum; præfectum eum fuisse qui, utpote idololatra, facile in christianos sævierit : sed vereor ut hæc cum veritate consistere possint.

Jam medium fere elapsum erat sæculum ex quo mutatio Romæ facta fuerat maxima; quam vel ex ipsis S. Augustini Confessionum libris compertam habemus.

Victorinus, inquit (1), « usque ad illam ætatem vene-
» rator idolorum, sacrorumque sacrilegorum particeps,
» quibus tunc tota fere romana nobilitas inflata inspira-
» bat populo jám et omnigenum deum monstra, et
» Anubem latratorem etc. » Illis itaque sacris inflata erat tota fere nobilitas romana, et populo inspirabat illa monstra, quum anno circiter 350 Victorinus rhetor frontem edomuit ad crucis opprobrium; sed alia jam erat rerum conditio, quum anno 397 (2) Augustinus Confessiones seu potius divinæ gratiæ laudes in lucem edidit.

Multo etiam luculentius eadem de re scripsit Aurelius Prudentius in libro I contra Symmachum. Postquam enim meminit triumphalis Constantini Magni in urbem ingressus, sub quo senatus, honores habens labaro, Christi nomen adorasse visus est, et legum, quibus Theodosius anno 382 et 399 sacrificia fieri idolis vetuit; pluribus explicat quantum Roma paulatim mutata fuerit; ita ut anno 403, quo Prudentius libros suos contra Symmachum scripsisse visus est præstantissimo editori Arevalo (3), universus fere senatus et popu-

(1) Confess. lib. VIII, cap. II, ap. Migne, Patrologia, tom. XXXII col. 750.

(2) Acta SS. tom. VI Augusti, pag. 354.

(3) Opp. Aurel. Prudentii, Proleg. num. 70, ap. Migne, Patrologia, tom. LIX, col. 614.

lus romanus ad christiana castra transisset. Et quidem, quamquam quæ de Romæ felici conversione scripsit ille, non nihilo longiora sunt, utile tamen erit ea legisse, quum nuspiam illas res accuratius collatas reperire sit. Canit itaque de Theodosio (1) :

« Talibus edictis urbs informata refugit
» Errores veteres, et turbida ab ore vieto
» Nubila discussit; jam nobilitate parata
» Æternas tentare vias, Christumque vocantem
» Magnanimo ductore sequi et spem mittere in ævum.
» Tunc primum senio docilis sua sæcula Roma
» Erubuit : pudet exacti jam temporis; odit
» Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
» Mox, ubi, contiguos fossis muralibus agros
» Sanguine justorum innocuo maduisse recordans,
» Invidiosa videt tumulorum millia circum :
» Tristis judicii mage pœnitet, ac ditionis
» Effrenis, nimiæque sacris pro turpibus iræ. »

Hæccine scripsisset intra ipsa romana mœnia Prudentius, si Romæ martyres tunc fieri adhuc in more fuisset positum? Verum cum eo pergamus :

« Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
» Justitiæ sero obsequio, veniaque petenda;

(1) Lib. I contra Symmachum, vv. 507 et seqq. ap. Migne, tom. LX, col. 161 et seqq.

» Ne tanto imperio maneat, pietate repulsa,
» Crimen sævitiæ, monstrata piacula quærit;
» Inque fidem Christi pleno transfertur amore.
» Laurea victoris Marii minus utilis urbi,
» Cum traheret Numidam, populo plaudente, Jugurtham;
» Nec tantum Arpinas consul tibi, Roma, medelæ
» Contulit, exstincto justa inter vincla Cethego:
» Quantum præcipuus nostro sub tempore princeps
» Prospexit, tribuitque boni. Multos Catilinas
» Ille domo pepulit, non sæva incendia tectis
» Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus
» Internoque hominum statui tormenta parantes.
» Errabant hostes per templa, per atria passim
» Romanumque forum, et capitolia celsa tenebant;
» Qui conjuratas ipsa ad vitalia plebis
» Moliti insidias, intus serpente veneno,
» Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
» Ergo triumphator latitanti ex hoste togatus
» Clara tropæa refert sine sanguine, remque Quirini
» Assuescit supero pollere in sæcula regno.
» Denique nec metas statuit, nec tempora ponit:
» Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
» Jam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
» Exsultare patres videas, pulcherrima mundi
» Lumina, consiliumque senum gestire Catonum,
» Candidiore toga niveum pietatis amictum
» Sumere, et exuvias deponere pontificales.
» Jamque ruit, paucis Tarpeja in rupe relictis,

» Ad sincera virum penetralia Nazareorum,
» Atque ad apostolicos Evandria curia fontes. »

Pauci itaque senatores sacris patriis adhærere pergebant; reliqui Christo subjecerant collum : quorum præcipuos enumerat dein Prudentius, scilicet Annios, Probos, Anicios, Olybrios, Paulinos, Bassos, Gracchos; alios multos omittit. Etenim

« Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
» Nobilium licet ad Christi signacula versas,
» Turpis ab idolii vasto emersisse profundo.
» Si persona aliqua est, aut si status urbis in his est,
» Si formam patriæ facit excellentior ordo,
» Hi faciunt, juncta est quoties sententia plebis,
» Atque unum sapiunt plures, simul ac potiores.
» Respice ad illustrem, lux et ubi publica, cellam :
» Vix pauca invenies gentilibus obsita nugis
» Ingenia, obtritos ægre retinentia cultus,
» Et quibus exactas placeat servare tenebras,
» Splendentemque die medio non cernere solem. »

Docet deinde universam fere plebem jam christianam fuisse :

« Post hinc ad populum converte oculos : quota pars est,
» Quæ Jovis infectam sanie non despuat aram?
» Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,
» Quique terit silicem variis discursibus atram,
» Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis;

» Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
» Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses;
» Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
» Unde sacrum referat regali chrismate signum.
» Et dubitamus adhuc, Romam tibi, Christe, dicatam
» In leges transisse tuas? omnique volentem
» Cum populo, et summis cum civibus ardua magni
» Jam super astra poli terrenum extendere regnum?
» Nec moveor, quod pars hominum rarissima clausos
» Non aperit sub luce oculos et gressibus errat. »

Symmachi libellum de restauranda victoriæ ara confutat deinde, quod damnetur longe maxima senatorum parte; quin addit :

« Aspice, quam pleno subsellia nostra senatu
» Decernant infame Jovis pulvinar, et omne
» Idolium longe purgata ex urbe fugandum. »

Consentit Paulinus in Poemate XIX seu XI in S. Felicem, quod anno 404 condidit (1) :

« Sed potiore Deo nostram reparare salutem
» Quam satana captos etiam nunc fraude tenere,
» Rarescunt tenebræ mundi, et jam pene per omnes
» Prævaluit pietas, et mortem vita subegit.
» Crebrescente fide, victus delabitur error,
» Et, prope jam nullis sceleri mortique relictis,

(1) Migne, Patrologia, tom. LXI, col. 512.

» Tota pio Christi censetur nomine Roma,
» Irridens figmenta Numæ vel fata Sibyllæ. »

Atque hæc ut procurarent imperatores christiani, neque vi utebantur, neque nimio auctoritatis pondere : quæ iterum declarat Aurelius Prudentius :

« Qua vocat egregii sententia principis, illuc
» Libera, cum pedibus, tum corde, frequentia transit.
» Nec locus invidiæ est, nullum vis aspera terret,
» Ante oculos sic velle patet, cunctique probatum,
» Non jussum, sola capti ratione sequuntur. »

Quo consilio et qua ratione gentiles summis tunc ab imperatore ornarentur honoribus explicat dein Prudentius :

« Denique pro meritis terrestribus æqua rependens
» Munera, sacricolis summos impertit honores
» Dux bonus, et certare sinit cum laude suorum;
» Nec pago implicitos per debita culmina mundi
» Ire viros prohibet : quoniam cælestia numquam
» Terrenis solitum per iter gradientibus obstant. »

Quæ demonstrat Prudentius exemplo ipsius Symmachi, adversus cujus molitiones librum suum conscribebat :

« Ipse magistratum tibi consulis, ipse tribunal
» Contulit, auratumque togæ donavit amictum,

» Cujus relligio tibi displicet, o pereuntum
» Assertor divum : solus qui restituendos
» Vulcani Martisque dolos, Venerisque peroras. »

Et pergit dein deflere poeta quod Symmachus eximiam suam eloquentiam restituendis pereuntibus diis impendit : quam mire quoque laudari a S. Ambrosio, Ausonio, Prospero Aquitanico aliisque coævis quis nesciat? At inter has eloquentiæ illius laudes ejusque et asseclarum aras deorum restaurare molientium impugnationes, nuspiam ullum de effuso christiano sanguine verbum, nuspiam ulla de sæve habitis christicolis querela auditur.

Nicomachi ducem sequebantur Symmachum et summis quoque aucti fuere muneribus. Multa etiam egerunt pro vindicando deorum honore, sed nemo huc usque effusi sanguinis christiani crimen eis objecit. Et quamquam Eugenio tyranno suam præstitissent operam, tam bene tamen de republica fuerunt meriti, ut anno 431 Theodosius et Valentianus III iterum erigi voluerint Nicomachi senioris statuam, quam triginta sex annis ante plebecula everterat; apposito diplomate, quod utriusque Nicomachi summas laudes continet.

Id non ita pridem Joannes Baptista de Rossi incredibili labore totum legit et explicuit (1); ex quo tamen

(1) L'Iscrizione della statua ristabilita di Nicomaco Flaviano seniore, Roma, 1849.

id unum decerpemus, quo demonstretur quam temere Morcellius, ductus opinione vasa sepulcralia martyrii indicia esse, Nicomachum Flavianum juniorem christianorum occisorem æstimarit. Videlicet quis credat imperatores christianos proposituros fuisse publicum decretum, senatui probatum et perenni incisum marmori, quo hæc de viro, innocuo christianorum sanguine madido, dicerentur : « Cum alioqui ipse etiam de » institutione illius probatus sæpe nobis parentibusque » nostris Flaviani filius [fuerit], (ei) honor semiplenus, » etiam sub præfecturæ prætorianæ apice, quem provi- » dentia et industria sua cottidie auget, delatus existi- » metur, nisi integer tandem et absque (ullo) religiosi » muneris debito totius domus ejus familiæque sit. »

Alias Morcellianas animadversiones, v. g. quod illo tempore inscriptiones profanæ publice propositæ fuerunt, quod rustici seu pagani idola adhuc colebant, quod Ariani, inquietum hominum genus, Romæ etiam versabantur, et alia id genus, lubens prætermitto; quoniam manifesto hinc non sequatur neque probabile fiat Romæ post Juliani apostatæ interimentum cruenta adhuc pro fide facta esse martyria.

Ut autem hæc omnia comparatione aliqua concludam, mihi videntur Romana fata cum Parisiensibus componi posse. Quantum scilicet innocui sanguinis in hac civitate fusum est, quum impietas exeunte superiori sæculo libere fureret? Successit deinde imperatoria potestas,

quin tamen cessarint impii omnes animique sævitiam exuerint. Jam, siquis decem posthæc sæculis contenderet, imperante Napoleone, cæsos fuisse honestos viros, fœminas, pueros, quoniam reperisse sibi visus est indicia quædam (ut sibi imaginatur) cædium; neque id mirandum esse diceret, quum impii adhuc essent multi, quin etiam nonnulli maximis aucti muneribus : nonne recte ei opponeretur illas cædes credibiles non esse; nil de his ferri in monumentis historicis; gubernium Parisiis vigore non fuisse destitutum; non futurum fuisse ut hæ impune fierent; et proinde illa indicia esse fallacia. Eadem omnino de romanis trucidationibus post Constantini victoriam et maxime post Juliani obitum deque vasorum sepulcralium significatione dicenda esse sole clarius est.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

VASA SEPULCRALIA MULTO FREQUENTIUS REPERIRI AD TUMULOS POST CONSTANTINI ÆVUM POSITOS QUAM ANTE.

Quid, quod vasa sepulcralia pluribus tumulis, post datam ecclesiæ pacem positis, adhæreant quam loculis antiquioribus?

Re quidem vera non magno sunt numero inscriptiones funebres, quibus simul notæ temporis et vasa apposita sint; sed quantulacumque hæc sit copia, non infirmum tamen hinc conficitur argumentum. Certe, si ex adversariorum starem parte, non parum turbarer, quum intelligerem vasa sanguinea non tantum adhibita fuisse, nulla sæviente persecutione; sed (quantum per cognita monumenta æstimare licet) tunc crebrius quam funestissimis temporibus.

Quocirca, ut dedimus supra epitaphia Constantino imperatore recentiora, nunc ea recensenda videntur quæ anteriora sunt. Porro celeberrimum est sepulcrum Severæ, quod incredibili doctrina et monumentorum abundantia illustravit Lupius (1) :

ΚΩΣΟΥΛΕ ΚΛΑΥΔΕΙΩ
ΕΔ ΠΑΤΕΡΝΩ ΝΩΝΕΙΣ
ΝΟΒΕΝΒΡΕΙΒΥΣ ΔΕΙΕ ΒΕΝΕΡΕΣ ΛΟΥΝΑ $\overline{\text{XXIIII}}$
ΛΕΥΚΕΣ ΦΕΛΕΙΕ ΣΕΒΗΡΕ ΚΑΡΕΣΣΕΜΕ ΠΟΣΟΥΕΤΕ
ΕΔ ΕΙΣΠΕΙΡΕΙΤΩ ΣΑΓΚΤΩ ΤΟΥΩ
Μ. . . . . ΤΟΥΑ ΑΝΝΟΥΡΩΜ ΛΒ
ΕΔ ΜΗΣΩΡΩΝ $\overline{\text{XI}}$ ΔΕΟΥΡΩΝ $\overline{\text{X}}$.

id est, literis latinis :

COSVLE CLAVDIO
ED PATERNO NONIS
NOVEMBRIBVS DIE VENERES LVNA $\overline{\text{XXIIII}}$
LEVCES FILIE SEVERE CARESSEME POSVETE
ED ISPIRITO SANCTO TVO
M . . . . . TVA ANNORVM XXXII* *XXXVI
ED MESORVN $\overline{\text{XI}}$ DEVRVN $\overline{\text{X}}$

Ex Lupio constat vas sepulcrale illi tumulo fuisse appositum et M. Aurelii Claudii Augusti et Paterni consulatum cum anno Christi 269 concurrere.

Atque hoc unum omnino sepulcrum in universa Marinii seu Maji collectione recensetur, quod simul

(1) Mai, tom. V, pag. 448; Lupi, Sepulcrum Severæ, pag. 5.

temporis notas, Constantino antiquiores, habuerit et vas sanguineum.

Re quidem vera habes ibidem (1) etiam epitaphium Marciæ, quæ *ἀνεπαυσατο τῃ προ εἰδων δεκεμβριων ἐπι Μαξεντιῳ*; sed defuisse vas sepulcrale constat ex Fabrettio (2).

Habes etiam S. Lanni tumulum (3) :

†
LANNVS XRI MAR
TIR HIC REQVIESC
IT. SVB [E. P. S] DIOCLITIANO
PASSVS

Verum vas sanguineum, quod ibidem repertum est, alius omnino est generis quam ea de quibus hic nobis est sermo. Repertum enim fuit intus in sepulcro, non extra calce insertum; neque crassamentum erat purum, sed arena mixtum (4) : nobis vero sermo tantum est de vasis, quæ in exteriori tumulorum parte cernuntur, aut quæ his similia deteguntur interdum interius, et crassamentum continent terræ purum.

Utut hæc sunt, quis non videt multo sæpius vasa sepulcralia deprehensa fuisse in sepulcris Constantino posterioribus quam antiquioribus?

(1) Ibid. pag. 456.

(2) Inscriptt. pag. 588.

(3) Mai, Vett. Scriptt. nov. collect. tom. V, pag. 387.

(4) Cfr. Costanzi, Dilucidaz. degli atti del glorioso san Lanno, pag. 22. Boldetti, Osservaz. pag. 146.

At, inquies, tumulis anteconstantinianis non additæ temporis notæ, quoniam tribus primis sæculis moris non fuit epitaphiis christianis adscribere consules. Id quidem nonnulli sibi persuasum habent; sed hi numquam legerunt Boldettium (1), qui collegit multas inscriptiones consulares, erutas e cœmeteriis et temporis notas ævi anteconstantiniani habentes; alias dat Muratorius (2) et alii adhuc alias : quin immo plures ad iniens sæculum II pertinent. Mera itaque fabula est ante Constantini imperium indicia annorum in christianorum tumulis fuisse omissa.

(1) Osservaz. pag. 78 et seqq.

(2) Inscriptt. tom. I, pag. CCCXVII et seqq.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

MULTIS TUMULIS INSCRIPTUM ESSE CHRISTI MONOGRAMMA : QUOD DOCTISSIMIS VIRIS PRIMUM A CONSTANTINO INDUCTUM ESSE VIDERI.

Quod jam proponam argumentum, non ejusdem generis est ac præcedentia, quibus sategi ostendere fieri non posse ut vasa sepulcralia martyrii indicia sint; sed eo adhibetur consilio ut pateat non ea tantum epitaphia, quæ capite decimo quarto recitavimus et vasibus sepulcralibus comitabantur, Constantini M. victoria posteriora esse, sed multis aliis ea inesse indicia, quæ gravissimi viri statuant ante ecclesiæ pacem non fuisse in usu.

Marinii videlicet seu Maji collectio ducentas sexaginta duas plus minus inscriptiones sepulcrales capit; quas

inter sexaginta quatuor plus minus, Christi monogrammate seu siglo ☧ notatas. Atqui censent non infimi subsellii viri id monogramma usu non fuisse prius receptum, quam labaro id inscribendum curasset Constantinus. Quæ sententia firma si steterit, consequens erit quartam illorum epitaphiorum partem certissime non fuisse positam, quum persequentium furor baccharetur; quin tamen ullo constet modo inscriptiones reliquas antiquiores esse, quum vix sexta pars epitaphiorum, quæ certissime post Constantinum picta aut sculpta sunt, monogramma Christi inscriptum habeant.

Ut autem illi suadeant non ante Constantini triumphum Christi monogramma fuisse usitatum, Eusebii (1) testimonium invocant, qui scripsit : « Heris diei meridianis, sole in occasum vergente, crucis tropæum in » cælo ex luce conflatum ipse oculis se vidisse affirmavit » Constantinus. « Interim ipse, ut ajebat, addubitare animo cœpit quidnam hoc spectrum sibi vellet. » Cogitanti ipsi et diu multumque apud se reputanti » nox tandem supervenit. Tum vero Christus Dei dormienti apparuit cum signo illo quod in cælo ostensum » fuerat, præcepitque ut, militari signo ad similitudinem » ejus quod in cælo vidisset fabricato, eo tamquam » salutari præsidio in præliis uteretur... Erat autem » ejusmodi. Hasta longior auro contecta, transversam

(1) De vita Constantini, lib. I, cap. XXXVIII et seqq. pag. 410 et seqq.

» habet antennam instar crucis. Supra in ipsa hastæ » summitate corona erat affixa, gemmis et auro con- » texta. In hac salutaris appellationis signum; duæ » videlicet literæ, nomen Christi primis apicibus de- » signabant, litera P in medio sui decussata. Quas » quidem literas imperator in galea gestare posthæc » etiam consuevit. » Lactantius (2) vero : « Commonitus » est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei » notaret in scutis, atque ita prælium committeret. » Fecit, ut jussus est, et transversa X littera, summo » capite circumflexo, Christum in scutis notat. »

Atque hinc non modo heterodoxi complures, ut Jacobus Basnagius et Burchardus Menckenius, sed et catholici, puta Pignorius, Fortunius Lucetus, Claudius Du Moulinet, ephemeridographi Florentini et Zaccaria, collegerunt ante illam visionem chrisimon non fuisse in usu. « Illa verba consideremus, inquit Zaccaria » Christophorsonii versione usus (3) : *In ea erat* P *in* » *medio literæ* X *curiose et subtiliter inserta, quæ totum* » *Christi nomen perspicue significarunt.* Nonne novam » quamdam et ignotam adinventionem sapere adcurate » illa perpendenti manifesto videantur? Atqui quum » græcum monogramma sit, græcis præsertim homini-

(2) De Mortibus persecut. cap. XLIV, ap. Migne, Patrologia, tom. VII, col. 261.

(3) Dissertat. latin. III, cap. III, num. 1, tom. I, pag. 110.

» bus notissimum esse debuit, si ante Constantini tem- » pora usitatum fuisset. » Hæc ille. Quibus tamen omnino confidere non ausim; quoniam, quum duæ potissimæ essent monogrammatis formæ, ☩ et ☧, (quas accuratissime distinguit S. Paulinus in Poemate XIX (1) et ex superstitibus monumentis discrevit cl. v. Letronne (2),) fieri potuit ut tam curiosa diligentia usi sint Eusebius et Lactantius, quo docerent lectorem non posteriorem formam apparuisse Constantino, sed illam alteram priorem.

Quocirca validius telum positum esse videtur in illis aliis Eusebii verbis, quibus tradit Constantinum plane non intellexisse quid istud spectrum sibi vellet, donec divino somnio doctus sit. Si enim communis hæc Christi et christianorum tessera fuisset, quis intelligat eam latuisse hunc principem virum, qui jam ab anno 306, quo patri Constantio successit, mirum in modum christianis faverat, et non potuerat quotidiano usu eorum res quotidianas non cognoscere?

Multo etiam moveor magis, quod nemo ante Constantini victoriam de illo monogrammate verbum scripserit. Negativum quidem id argumentum est; sed non omnia

(1) Ap. Migne, Patrologia, tom. LXI, col. 844 et 845.

(2) Examen archéolog. de ces deux questions : 1° La croix ansée égyptienne, etc. Mémoires de l'Institut royal de France, tom. XVI, part. II, pag. 244 et suivv.

hujus generis ratiocinia vi carere et auctoritate planum est. Quid itaque fit ut complures scriptores anteconstantiniani disseruerint de siglis I et IH, quibus *Jesu* nomen significabatur, nemo vero de ☧, neque de XP? Quid, quod schola alexandrina, quæ initia sua ex judæis ad christianam fidem conversis ducebat et omnium maxime interpretationes caballisticas amavit, adeoque Jesu nominis sigla tam studiose secundum gematriæ leges explicuit, Christi monogramma reliquit intactum?

Accedit impræsentiarum doctissimis archæologis exteris persuaderi non potuisse Christi monogramma Constantini ævo esse antiquius, quamquam complures itali nullum immotum reliquerunt lapidem, ut exempla aliquot antiquiora reperirent. Adeoque in concertatione illa eruditissima, quæ anno 1845 inter clarissimos viros Letronne et Raoul-Rochette, rei antiquariæ ambo tunc præcipua in Galliis lumina, de cruce ansata ferbuit et in qua nil quod vicissim reprehenderent omiserunt, convenit utrinque (1) monogramma, quod ex implexis X et P compositum est, a Constantino fuisse inductum ideoque recte Constantinianum vocari.

In quam sententiam maxime inducti fuerunt, quod id monogramma nullis genuinis insculptum legitur monu-

(1) Letronne, Examen archéolog. Mémoires de l'Académie des inscriptt. tom. XVI, part. II, pag. 249 et seqq. Raoul-Rochette, De la croix ansée, Mémoires, etc. pag. 306 et 308

mentis, quibus notæ temporis anteconstantiani inscriptæ sint; quo quondam argumento motus etiam fuerat Zaccaria.

CAPUT UNDEVIGESIMUM.

CERTIS ARGUMENTIS NONDUM DEMONSTRATAM ESSE ANTIQUITATEM MONOGRAMMATIS CHRISTI; QUOCIRCA ASSERI NON POSSE TUMULOS, CHRISIMO ET VASCULO SIMUL SEPULCRALI ORNATOS, CONSTANTINO IMP. ESSE ANTIQUIORES.

Re quidem vera S. Caji papæ, Marii ducis militum et Alexandri, qui vitam cum Antonino imperatore explevisse dicitur, referuntur epitaphia; sed his nullam fidem habendam esse ostendemus inferius.

Neque valet probatio, quam ex Marii Januariani inscriptione sepulcrali confici posse arbitrantur. Dupliciter enim peccat : primum quod monogramma ibi non cernitur, de quo agitur, sed crux sexbrachiata, ex literis I

et X decussatis constare visa cl. v. Letronne (1) et Ἰησουν Χριστον significare; deinde quod non liquet hunc tumulum anteconstantinianum esse. Re quidem vera æneum numisma sepulcro affixum inventum est, quod uno latere effigiem fœmineam cum inscriptione IVLIA AVGVSTA, et altero Vestæ sacrificium exhibebat (2), quodque dixere esse numum Juliæ Mameæ, Alexandri Severi matris; et proin istud sepulcrum fuisse positum, dum ejus filius imperaret. Sed neutrum probari potest. Nam jam pridem animadversum est plures Julias fuisse Augustas; unde alii numos tam vage signatos adscripserunt Juliæ Augusti filiæ, alii Juliæ Titi filiæ, alii aliis; sed id unum nobis satis Ekhelium (3), rei numariæ oraculum, non admittere illud numisma inter Juliæ Mameæ numos. Præterea non stat illa de tempore argumentatio, nisi prius constiterit illum Juliæ Augustæ numum ea mente Marii Januariani tumulo fuisse affixum, ut temporis nota esset. Gratis quippe id pro more supponitur; et tantum abest ut demonstretur, ut contra refragentur archæologi omnes, passim recensentes numismata antiquiora injecta sepulcris recentioribus, adeoque numos primorum imperatorum non raro inventos in tumulis

(1) Examen archéol., etc. pag. 249.

(2) Aringhi, Roma subterr. lib. III, cap. XXII, tom. I, pag. 334.

(3) Cfr. Doctrina numorum, part. II, tom. VII, pag. 287 et 288, edit. 1728.

sæculi X, XI et XII. Quocirca cujuscumque Juliæ Augustæ fuerit ille numus, nil profecto valet ad Marii Januariani sepulcri ætatem prodendam.

Neque majoris ponderis est lapis sepulcralis Cerboniæ Silvanæ, DEP. KAL. APR. TIBERIANO II ET DIONE COSS, qui processerunt anno Christi 291. Si enim oculos conjicias in effigiem, quam edidit Boldettius, facile consenties tria signa quæ illic scripta sunt neutiquam esse monogrammata; prius videtur esse ἐπισημον koppa litera X decussatum; secundum crux, cujus brachia in angulum flexa sint, vel nude litera X; et tertium literæ Ψ habet formam : quamquam ego ei non repugnarem qui statueret omnes incertos tractus esse et rudem designationem, quibus margo lapidis aliquantisper ornaretur. Nulla itaque illis etiam tabulis inest vis ad persuadendum monogramma Christi ante fuisse usitatum, quam Constantinus triumphum ageret.

Et quidem id argumentum omittendum duxit Mamachius (1); sed contra urget chrisimon fuisse inscriptum pluribus tumulis, quibus martyres claudi certissimum est; nec dicendum eos martyrium fecisse sub Juliano, ne hujus persecutio magis videatur cruenta quam reapse fuerit.

Sane facile dandum est eos non periisse, Juliano ersequente ecclesiam Dei, neque alio post Constanti-

(1) Origin. et antiquit. christ. tom. III, pag. 54.

num tempore, ut capite decimo tertio satis diximus : quocirca, quamquam Zaccaria (1) se plane hoc argumento non premi dixit, arbitramur tamen et pro veritatis amore libenter profitemur id non omni destitui auctoritate. Verum tamen ea non pollere videtur ut res hinc confecta dicenda sit : quoniam fieri potuit, ut illi martyres passi fuerint ultimis Maxentii temporibus, et epitaphiis aucti aliquanto post diem 29 octobris anni 312, quo Constantinus ovans labarum Urbem intulit. Neque enim illa epitaphia magno sunt numero, sed tria tantum.

Primum valde breve est (2); quod quippe duobus tantum conceptum sit verbis, interposito monogrammate. Ecce illud (2) :

ERMETES ☧ PASSUS

quem tamen ne confundas cum celeberrimo S. Hermete martyre monet Zaccaria (3); quum recentior quidam sit « ut vel ex cœmeterio, unde effossa est inscriptio, » discimus; non enim in ipsius Hermetis, sed in Pri- » scillæ cœmeterio inventa fuit. »

(1) Dissert. latin. tom. I, pag. 113.

(2) Buonarotti, Frammenti, pag. XIII et Hier. de Prato, Sulpicii Severi Opp. tom. II, pag. XLI.

(3) Dissert. lat. tom. I, pag. 111.

Secundum sequens est (1) :

PRIMITIVS IN PACE QVI POST
MVLTAS ANGVSTIAS
FORTISSIMVS MARTIR
VIXIT ANNIS. P. M.
XXXVIII CONIVGI SVO
PERDVLCISSIMO BENEMERENTI
FECIT

Quæ inscriptio quum longior sit et ornatior, et passim velint archæologi longiores et ornatiores recentioris ævi esse; eam quoque recentiorem esse et circa Constantini tempora positam dicere licet. Quid quod non satis constat, monogramma ibidem fuisse adscriptum? alii enim epigraphωn collectores omittunt, alii ponunt ad dexteram, alii ad sinistram; atque hac forte de causa ejus meminisse noluit Zaccaria, quamquam id ei fuisset objectum.

Tertia inscriptio mira est et œdipo interprete eget (2) :

SANO MARTYRIBVS PETRO ISPO
QVI VIXIT AN. X. ET PASSVS EST XIIII KAL. FEBR.

Quid istud *sano?* Certe non pro *sancto,* nisi hunc lapidem ad sæculum V aut VI referre velis. Quid *ispo?*

(1) Boldetti, pag. 56; Aringhi, tom. I, pag. 333.; Mai, tom. V, pag. 400.
(2) Fabretti, Inscriptt. pag. 739; Mai, tom. V, pag. 397.

an *in suo posito?* Quid *passus?* Quid potissimum istud *martyribus?* An inscriptio hæc ejusdem est generis ac duæ sequentes? A ☧ Ω SANCTO MARTYRI LAURENTIO JULIA EXIBIT (exivit) III KAL. OCT. DEP. KAL. SS (septembris); et PETRUS ET PANCARA BOTU (voto) POSUENT (posuerunt) MARTYRE FELICITATI (1); ut alias omittam. An Petrus illic sepultus, an vero anonymus (2)?

Sed fac Hermetem et Petrum esse martyres, et Primitii tumulo monogramma inscriptum fuisse. Nil tamen (ut innuimus) hinc efficies, nisi prius ostenderis eos passos non fuisse ultimis Maxentii temporibus, et lapidem non fuisse positum posteaquam Constantinus triumphasset. Plane quippe certum est (quod et quotidiana experientia etiamnum continuo docet) sæpius epitaphia diu post cadaverum depositionem tumulis apposita esse. Ecce enim tituli aliquot, quibus duæ insunt notæ temporis, altera pertinens ad depositionem, altera ad inscriptionem tituli (3) :

EXVPERANTIA D XV KAL SEPT
HIC DEPOSITA EST
IN PACE ROME QVÆ
VIXIT PM MENSES III
CONS FAVSTI IVN. S. D. V.
ID. IANVARIAS

(1) Muratori, Inscriptt. pag. MDCCCXCI, num. 3 et pag. MCMXXV, num. 2.
(2) Cfr. supra, cap. III, pag. 28.
(3) Aringhi, Roma subter. lib. IV, cap. XXV, tom. II, pag. 75.

Unde apparet Exsuperantiam depositam fuisse die xv kal. septembres seu die 18 augusti anni 489 et lapidem aut saltem inscriptionem fuisse additam sub die v idus seu die 9 januarii anni sequentis, quo Faustus Junior consul processit. Ejusdem generis est sequens epitaphium (1) :

CAVTILIA GERONTIA QVE VIXIT ANNOS
VI· MENSES· DECEM· CAVTILIVS GERONTIVS
FILIÆ CARISSIME POSVIT III KAL. FEBRARAS
XIII KAL. MAR.

Similiter sequens (2)

— — — — — — — — — TVLLIANA
— — — — — — TANTVM SVB RHETORE ROMA
— — NTVM NOSTER SVB ORIGINE SANGVIS
— — M CARPTVRA ROSAM MIHI DECIDIT ÆTAS
— — ORET VERNVM MACVLAVIT FVNVS APRILEM
— — NOFFENSO VITÆ MIHI TRAMITE LABSVS
— — ORVM MATVRA BONO NIL DEBVIT ANNIS
— — IVG..SCIT CARA FIDES HERESQVE MARITVS
— — QVOD ÆTERNO MIGRARIM DEDITA CHRISTO
— — QVE FERAT MELIOR MIHI VITA CORONAM
DE IIII [I]D. ARIL
ACTA PIE CVRANTE MARITO
NOMEGETHIO. V. C.
HÆC PATER INSONTI FILIÆ SVPREMA PEREGI .
TVLLIANA IVN. KAL. SEPT.

(1) Muratori, Inscriptt. pag. MDCCCL, num. 7.
(2) Ibid. pag. MCMLI, num. 3.

Quantumvis mutila hæc sit inscriptio, manifestum tamen ex ea est Tullianam depositam fuisse IV idus seu die 10 aprilis; patrem vero ei iterum novissimum dixisse vale kalendis seu die primo septembris, quo lapis positus fuerit.

Quid, quod unus idemque titulus aliquando statutus est hominibus, eodem non depositis die? En exemplum (1):

DEPP. DVO VITALIS XI KAL. NOBR
ET FLORENTIVS VIII KAL. NOBR
IN PACE.

Sequens vero, e cœmeterio Gordiani et Epimachi cum ampulla quam dicunt sanguinis erutum, multo magis admirabile est (2) :

TESSALIVS VICTORIÆ COIVGI BENEMERENTI
POSVIT TITVLVM QVE VIXIT CVM COIVGE SVO ANNIS DVO
M. VIIII. DIES VI. QVÆ REMISIT FILIVM
M.XI. CVIVS FACIEM NON VIDIT

Ubi animadvertas verbis : *remisit filium* significari a Victoria moriente in vivis relictum fuisse filium; quemadmodum ex epitaphio Marcianæ, cujus tumulus etiam ornabatur ampulla sepulcrali, colligitur (3) :

(1) Muratori, Inscriptt. pag. MCMLIX, num. 4.
(2) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 453, num. 1.
(3) Ibid. pag. 439, num. 10.

IN PACE
BENEMERENTI COIVGI
MARCIANE STRATONICVS
QVÆ VIXIT ANNIS XXXIIII.
M.I.D.X. QVÆ DIMISIT FILIOS III.

Remisit autem filium Victoria, priusquam faciem ejus vidisset; ita ut ii omnes, qui non per fas et nefas contendant ampullam sepulcralem infallibile martyrii indicium esse, arbitraturi sint mulierem in puerperio esse mortuam. Matri tamen supervixit filius menses undecim; quibus expletis, quum obiisset diem, matri simul et filio titulus positus fuit, quamquam undecim menses integri inter utriusque mortem lapsi essent.

Quocirca recte dixisse videtur Zaccaria nil confici posse lapidibus, quibus nulla inscripta sunt temporis indicia; adeoque victas tunc tantum dedit manus, quum animadvertit monogramma pictum esse in tot titulis, quos vasa comitabantur sepulcralia : ut, quum his martyres significari arbitraretur, videret eos omnes non potuisse perire brevi ante Constantinum temporis spatio : atque hanc demum ob causam concessit jam ante monogramma christianum fuisse in usu, quam Constantinus id inscripsisset labaro; simul tamen protestatus se nil moveri *Hermetis passi* epitaphio et aliis paucissimis similibus.

Verum hic Zaccariæ recessus et, quam adversariis gratulatus est, victoria non probanda sunt, nisi constet

vasa sepulcralia vera esse martyrii indicia; secus vitiosam ratiocinationem factam esse nemo non videt, quum ex principio fallaci nil certi sequi potuisse pateat.

Quamobrem, quum gravissimi archæologi etiamnum arbitrentur Constantino deberi monogramma Christi, quumque victi nondum fuerint argumentis claris certisque, dubium saltem fit an ea omnia monumenta, quibus calix sepulcralis affixus est et simul adscriptum monogramma, Constantino antiquiora sint; proin an martyrum corpora continuerint; et demum an vasa sepulcralia martyrium significent.

At, quum Constantinus triumphali curru Romam ingressus est et monogramma celebre fieri cœpit, id sculptum aut pictum fuerit in antiquioribus tumulis. Acute excogitatum effugium, sed tamen effugium, ut recte dixit Zaccaria (1). Quid enim, quærit ille, si ita actum sit, tot prætermissi fuere tumuli, ampullis sepulcralibus decorati? Quid longe minor pars monogrammate signati? Quid in alios hac, et in alios illa ratione actum fuit?

Sed præstantius argumentum ad manum est, videlicet sæpe ita monogramma esse scriptum, ut necessario simul cum reliquo epigrammate appositum fuerit seu etiam prius fuerit scriptum quam reliqua adscriberentur verba. Exempla præsto sunt:

(1) Dissert. latin. tom. I, pag. 112.

INNOC. SEVERO VIXIT
ANN. XIII ☧ ET DIES XXII (1).

ANNA QVE VIXIT ANN. XVIII M. III.
DIES XVIII. B. M. ☧ IN PACE (2).

AMANTIA CONIVGI DVLCISSIMÆ BENE
MERENTI DVM VIXIT ANN. XXXV
M. VI. D. VIII. DEP. VI ID. DEC.
IN PACE (3).

TATA CENTIÆ ANIME INNOCENTI
QVE VIXIT ANNIS QVINQVE MENSES X
DORMIT IN PACE VI KAL. IEN (4).

Aderant his omnibus tumulis vasa dicta sanguinea; monogramma scriptum eodem tempore quo reliqua verba; et, ut minimum non liquet monogramma Constantino esse antiquius, ita quoque obscurum est potuisse illa vasa apponi ante ejusdem augusti victoriam.

Hactenus absolvimus argumenta quibus ostendi posse visum est vasa sepulcralia martyrii indicia non esse :

(1) Mai, tom. V, pag. 405.
(2) Ibid. pag. 418.
(3) Ibid. pag. 419.
(4) Ibid. pag. 425.

primum petitum ex puerorum numero, et secundum ex appositis post Constantinum vasis certa et firma esse arbitramur; tertium, sumptum ex ætate monogrammatis, probabile potius habemus quam inexpugnabile.

His addere licet quartum argumentum, ex nominum natura deductum. Si enim nomina genuinorum martyrum romanorum consideres multa ex iis profana esse et idololatrica facile deprehendes; quum qui ex gentilitate ad religionem christianam transirent, rarius pristinum suum nomen ponerent. Contra pauciores e martyribus cœmeterialibus aliquod gentilitatis vestigium in suo nomine retinent; videlicet quod plerique ex parentibus christianis essent orti, quum sæculo IV exeunte et sæculo V rari superessent Romæ idololatræ, nec proin tot amplius ad fidem converti possent, suo deinceps nomine significaturi quibus olim falsis numinibus suam obligassent fidem. Sed id expolire nolim : tandem enim aliquando arma ad oppugnandum ponenda sunt, ut ea quæ ad repugnandum valeant in manus sumantur.

CAPUT VIGESIMUM.

TEMERE APPELLARI AD TRADITIONEM UT OSTENDATUR VASA SEPULCRALIA SOLIS MARTYRUM TUMULIS FUISSE APPOSITA.

Imprimis inclamant adversarii proba præsto esse argumenta, quibus constet vasis sanguineis martyria constanter significata fuisse, et quorum primarium sit ecclesiæ romanæ traditio et consuetudo.

Boldettius, qui sæculo superiori scripsit, id jam expolivit argumentum, iique presbyteri, tum itali, tum galli, qui recentius de cœmeteriis romanis ediderunt libros, idem constringere conati sunt. Unius romani, adhuc in vivis agentis, verba ad marginem dabimus (a).

(a) La chiesa romana tiene l' ampolla del sangue per contrasegno di martirio, non già in forza d' una legge o

Scribit scilicet ille ecclesiæ romanæ ampullam non haberi signum martyrii propter legem aliquam scriptam aut documentum aliquod quod codicibus aut annalibus suis capiatur, sed propter consuetudinem semper vivam, quæ ab uno sæculo ad aliud continue ascendens, ad primas tandem suas origines pertingat; ita ut hæc consuetudo eodem ad nos devenerit modo quo traditiones apostolicæ.

Sed optimi viri bona venia dixerim passum eum esse sibi imponi a Boldettio : tanto enim ille ipse pollet judicio ut numquam sponte sua, sed tantum aliena ductus auctoritate, illa literis mandare potuisse videatur. Secus enim quis intelligat tam enormia asserta ejus calamo excidere potuisse?

Falsum enim profecto est consuetudinem illam continuam fuisse, ita ut per singulorum sæculorum ætates ad origines ecclesiæ romanæ adscendat.

Imprimis nil certius quam quod ab ineunte sæculo XIII usque ad exiens sæculum XVI cœmeteria romana

d' un documento qualsiasi scritto ch' ella serba ne' suoi codici e ne suoi annali, ma solo in forza d' una consuetudine sempre viva, che risalendo d' età in età giunge alli prime sue origini (1).

(1) Monumenti delle arti christiane primitive nella metropole del cristianesimo, pag. 118.

derelicta fuerunt et paulatim oblivioni data, atque interea temporis nulla extracta fuere martyrum corpora. Nemo hæc brevius et simul planius exponit quam illustrissimus dominus Gerbet, Perpinianensis episcopus; cujus verba ad imum marginem dabo (a), hic satis

(a) Postquam consilia Leonis papæ III, cœmeteria restaurare volentis, aperuisset, sic pergit : « Quelque désastreuse qu'ait été, à plusieurs égards, l'époque suivante, il ne paraît pas qu'on ait oublié les catacombes. Pierre Mallius, au douzième siècle, marque dix-neuf cimetières souterrains dans le catalogue qu'il nous en a laissé. L'auteur du livre intitulé : *les Merveilles de la ville de Rome*, qui appartient au treizième siècle, suivant le père Montfaucon, fait aussi l'énumération de ceux qu'on y connaissait de son temps : il en compte vingt-et-un.... Mais, pendant la résidence des papes à Avignon, la mémoire des catacombes semble s'éclipser. Il faut excepter les grottes vaticanes qui ont été perpétuellement visitées par des chrétiens de tous les pays, et les catacombes de Saint-Sébastien, dont l'église souterraine a toujours attiré les fidèles. A ces exceptions près, et quelques autres aussi peut-être, il n'est plus question de ces cimetières. Ce silence ne prouverait pas qu'on les eût négligés, s'il s'agissait d'une de ces époques du moyen âge qui nous ont laissé peu de documents historiques. Mais on écrivait déjà beaucoup dans le quatorzième siècle : si les catacombes eussent été fréquentées, il en resterait quelques traces dans les nombreux récits de ce temps. L'oubli dans

habens verba recitasse Aringhii, quibus in operis limine pium ac studiosum lectorem affari incipit et quibus intexuntur cardinalis Baronii dicta de Romanorum sui ævi stupore, quum antea urbi et orbi invisi thesauri denuo patuerunt : adeo oblivione sepulta jacebant

lequel elles tombèrent tient aux circonstances malheureuses où se trouvait Rome.... Durant tout ce temps, la Rome souterraine disparaît de l'histoire comme si elle eût été couverte d'un voile, et qu'elle eût dû marquer ainsi l'absence de la papauté et le deuil des monuments chrétiens. Cet oubli continua pendant les derniers troubles du schisme d'Occident et longtemps après. Cependant quelques visiteurs pénétraient dans les catacombes. On a trouvé, dans une chambre du cimetière de Prétextat, sur la voie Appienne, les noms d'un abbé de Saint-Hermès de Pise et de ses compagnons écrits avec du charbon sur les murs, avec cette date : MCCCCLXII. Dans une chambre voisine, de grandes lettres tracées aussi avec du charbon, formaient les mots suivants : 1490. Ici est venu Raynatius Farnèse avec ses amis. Mais ces visites, entreprises par des motifs de piété ou de curiosité, n'avaient pas trait à une investigation scientifique.... C'est vers l'époque de Sixte-Quint, que l'attention commence à se reporter sur les catacombes oubliées (1). »

(1) Esquisse de Rome chrétienne, chap. III, pag. 105 et 106, édit. de Bruxelles.

pristina illa sepulcra. « Subterranea Roma, ait Arin-
» ghius (1), quam perlustraturus nunc es, tot quidem
» et tantis sacræ antiquitatis ac rerum memorandarum
» thesauris apprime illustratur; quos, diu tamen urbi
» atque orbi invisos, intra sua clausit viscera, ut maxi-
» mum ecclesiæ militanti splendorem et non exiguum
» studiosis quibusque oblectamentum conferre queant,
» si rediviva e tenebris in lucem veniant, et, ut par est,
» ubique terrarum innotescant. *Ipsamet quippe vehe-*
» *menter aliquando urbs*, edisserente Baronio (2), *obstu-*
» *puit, cum abditas in suis suburbiis se novit habere*
» *civitates, christianorum tempore persecutionis colo-*
» *nias, modo autem sepulchris tantum refertas, et quod*
» *legebat in chartis, suis ipsis oculis intuens admira-*
» *bunda spectavit.* » Hactenus Baronius et secundum
eum Aringhius; quibus omnino consentit ipsemet Bol-
dettius (a) : quin etiam hic apertissime fatetur ab ineunte

(a) Dicesi ancora che Oronio III, il quale fu pontefice nel 1216 cavasse molte reliquie dal cimitero di S. Bibiana, detto di S. Anastasio *ad ursum pileatum;* dopo del quale rimanessero poi confuse le notizie de' cimeterj, e quasi sepolte nell' oblivione per le varie turbolenze d' Italia e rivoluzioni di Roma fino a' tempi di Sisto V (3).

(1) Roma subterr. tom. I, pag. v.
(2) Annal. eccl. ad an. 130, num. II.
(3) Osservaz. pag. 99.

sæculo XIII usque ad Sixti V tempora interruptam fuisse extractionem corporum sanctorum ex cœmeteriis (a).

Quum itaque ante admirabiles Bosii labores ipsam rationem veterum cœmeteriorum ignorarent Romani; quum a sæculo XIII ad XVI usque nemo adhibitus fuerit extrahendis sacris corporibus; adeoque quum hæc extractio multa cessarit sæcula; continua illa consuetudo, quam temere invocant, ubi, quæso, est? ubi fossores, qui sibi continenter succedentes transmiserunt et memoria servarunt quibus indiciis martyrum sepulcra dignoscerentur? ubi proinde numquam interrupta traditio, quæ omnes transgressa ætates ad origines ecclesiæ romanæ perveniat?

Aliter profecto habent traditiones apostolicæ; quæ, ut loquitur Tridentina synodus (1), « quasi per manus » traditæ, ad nos usque pervenerunt. » Hæ continua episcoporum et presbyterorum successione transmissæ; usu quotidiano servatæ; libris liturgicis, ecclesiæ præceptis, sanctorum patrum scriptis indicatæ; oblivione

(a) Per molti secoli fu a cagione delle lunge turbolenze d' Italia e per l' assenza da Roma della sede apostolica interrotta l' estrazione de' corpi santi da' cimiteri (2).

(1) Sess. IV, decr. I.

(2) Osservaz. pag. 99.

deletæ numquam et tamquam pars depositi, quod Christus ecclesiæ suæ concredidit, diligenter custoditæ: nil horum de ementitis vasis sanguineis asseri potest. Contra in confesso est in nullis omnino libris, in nullis legibus, in nullis annalibus de iisdem fieri verbum; per multa sæcula de iis non fuisse cogitatum neque ea usu ullo usurpata; successionem virorum qui iis occuparentur prorsus non exstitisse; quin etiam ipsa cœmeteria oblivioni fuisse data, ita ut universa Roma superterranea obstupuerit, quum subterranea denuo innotuit. Certe nil magis quam manca illa traditio me movit ad diffidendum de omnibus adversariorum assertis, adeoque ad suspicandum nil eos habere posse solidi, qui illo se scuto tuerentur.

Cæterum jam pridem cecidit et corruit omnino similis ea ex traditione conficta argumentatio. Non enim ad tuendam tantum vasorum sepulcralium vim et significationem objecta fuit, sed ad palmarum quoque definiendam virtutem et auctoritatem; et quidem eadem omnino confidentia, seu potius eadem temeritate: quo enim alio appellem nomine assertiones quæ tamquam res veræ et compertæ, de quibus dubitare nefas sit, proponuntur, quamquam nudæ divinationes sint et arbitrariæ conjecturæ? Si enim audias Boldettium (a),

(a) Non mancherebbono al certo moltissimi esempj di quest' uso de' secoli più antichi, e de' tempi di S. Pasquale I

« Paschalis I, Paulus I aliique pontifices non aliis indi-
» ciis dignoverunt martyrum sepulcra quam vasis et
» palmis; re quidem vera id non tradidisse Anastasium
» aliosve qui antiquas reliquiarum translationes me-
» moria servarunt; sed si scripsissent qua ratione
» martyrum tumulos discernerent veteres pontifices,
» profecto nos visuros indicia fuisse vasa sanguinea et
» palmas; sed jam scriptorum vicem suppleri traditionis
» testimonio. »

Atque hujusmodi nugas volebant olim præcipuum esse argumentum, quo constaret palmis et vasis sanguineis certissime significari martyria. Nemo jam id non ridet, quum ad vindicandam palmarum vim adhibetur: sed quid minus gerræ sint, quum de vasorum significatione quæritur? Traditio de vasis coæva est traditioni de palmis, quum manifestissimum sit utramque sæculo XVI exeunte non esse antiquiorem.

et di S. Paolo I ed altri pontefici,... se Anastasio Bibliotecario ed altri autori ci avessero insieme con la notizia delle copiose estrazioni fatte tramandata ancor quella de contrassegni, de' quali si servirono per riconoscer i martiri. Ma a questa mancanza di notizia ha pienamente supplito la tradizione, la quale ci ha renduta testimonianza sicura, che non d' altri segni si servirono che di quelli, che ancor noi giudichiamo.... per segni indubitatamente certissimi (1).

(1) Boldetti, Osservaz. pag. 241.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

FRUSTRA TRADITIONEM ET PRÆSCRIPTIONEM ADHIBERI AD STATUENDUM VASIS SEPULCRALIBUS INDICARI MARTYRIA.

Cæterum constat omnino non duce traditione antiquorum, sed interpretatione propria, eo devenisse primos sæculi XVI sacrorum corporum effossores, ut vasa sepulcralia martyrii indicium esse crederent; neque tamen impetu quodam et firmo passu, quo in res certas ferri solemus, sed porrectis quasi in incertum manibus in eam sententiam itum est.

Etenim si Bosium adimus, nuspiam eum de traditione verbum hiscentem audiemus; sed colligentem videbimus veterum scriptorum testimonia, quibus innotuit martyrum sanguinem aliquando fuisse inclusum

vasis ; dein, quum in sepulcris reperiret vasa, quibus verus sanguis impositus fuisse videretur, Christi athletas illic sepultos fuisse statuebat ; ubi vero non satis ei constabat de sanguine, dubius hærebat, nil definiens ; quin etiam dixit aquam benedictam iis vasis inclusam fuisse. Non aliter postea Aringhius, qui aliquando aquam benedictam, aliquando vinum eucharisticum, aliquando sanguinem iisdem vasis contentum fuisse conjecit, ubique animi dubius, nec quid statueret compertum habens. Bosii et Aringhii verba capite III recitavimus.

Jam vero, scripsissentne illi hoc modo, si eorum ævo traditione constitisset omnibus vasibus sepulcralibus olim infusum fuisse martyrum sanguinem, atque etiam, ubi nil continerent, ea signum esse sanguinis quem fideles fortissimi pro Christo sparserant, quemadmodum nunc passim asseritur? Profecto Bosius aliique statuebant martyres esse, quorum vere sanguis collectus haberetur ; quod hæc res suimet ipsius erat signum : sed nil umquam de traditione cogitarunt, qua didicissent omnibus vasis infusum fuisse sanguinem martyrum aut ea martyrii indicium esse.

Et quidem initio, quum pluribus facultas facta esset extrahendi martyrum reliquias, singuli pro arbitrio suo sibi fingebant leges, secundum quas judicarent martyrumne essent corpora, in quæ inciderent, an aliorum. Sic patres societatis Jesu, qui multa corpora ex Priscillæ

cœmeterio extulerunt, martyrum loculos indicari arbitrabantur ramis palmarum, columbis ramos ore gestantibus, vasis sanguineis, forcipibus, cultris, ensibus, pectinibus, securibus, plumbatis aliisque rebus, quibus viros, fœminas et pueros, illic olim sepultos, a persecutoribus tortos fuisse conjiciebant. Atque hæc colligimus ex interrogatorio duorum fratrum coadjutorum et tertii sacerdotis, qui exhumandis corporibus operam dederant (1).

An vero hæc totidem indicia esse martyrii traditione didicerant? Nequaquam; sed ipsimet testantur ea martyrii signa habita fuisse P. Generali atque aliquot aliis eruditis patribus; et pro eorum sententia extracta fuisse corpora e loculis, quibus ista indicia adessent.

Alii autem alia censebant martyrii signa, v. g. columbam, agnum, piscem, monogramma ☧, quod *passum* pro Christo interpretabantur et cætera; adeoque ex sepulcris, quæ istis symbolis aut notis distinguebantur, educebant corpora, eaque reponenda in templis et tamquam martyrum exuvias veneranda mittebant quaquaversum, etiamsi, ex appositis consulum nominibus constaret sæculo quinto aut sexto ementitos illos martyres vixisse. Atque utinam hæc cessassent, quum aliquanto accuratius cœmeteriis romanis invigilari cœptum est!

(1) Ap. Boldetti, Osservaz pag. 242 et seqq.

Frustra ergo appellantur traditiones; quoniam aliæ non exstant quam quæ recentes sint, nec ad ecclesiæ romanæ origines adscendant, sed ad tempora Sixti V aut Clementis VIII : omnes præterea enatæ ex interpretationibus et conjecturis archæologorum.

Cæterum ipse R. P. Marchi, qui tantopere passim objurgat citramontanos, quod non omnia quæ romani aliquot de cœmeteriis tradiderunt credi posse æstimant, quam manifestissime ostendit (et hæc ejus laus est) traditiones romanas, quæ sæculo XVI ortæ sunt de origine cœmeteriorum, plane falsas esse et ex errore eorum, qui primi subterraneam Romam visitarunt, profectas esse : at ut in re tam evidenti lapsi fuerunt et nepotes traxerunt in devia, quid magis sacras habeamus traditiones alias, quarum ipsi quoque auctores fuerunt et primi magistri?

Quæ quum aliqui satis perspectum habeant, aliorsum confugiunt et ita vertunt argumentum ut ad præscriptionis leges recurrant. Curatores cœmeteriorum romanorum, inquiunt, sunt in possessione referendi inter sanctos martyres eos omnes, quorum loculis adhærent vasa sanguinea. Verum sæculo superiori eadem de epitaphiis palmatis asseri poterant : sed ut tunc jure merito omissa fuere, quod nihil profecto valuissent; quid nunc valebunt magis de vasis sepulcralibus? Præscriptio scilicet tunc tantum ad veritatem vindicandam invocanda est, quum veritas (ut in rebus fidei) cessare

numquam potest : at quis dixerit errari non potuisse in dignoscendis martyribus cœmeterialibus? Sane audivimus Benedictum XIV consentientem Muratorio, contendenti palmas signum martyrii esse apprime fallax; quamvis eo indicio innumera cadavera colenda tradita fuerint. Contra quum in re, quæ non necessario ab errore libera sit, ad præscriptionem recurritur, id plerumque fit, quoniam possessionis titulus invalidus est : adeo ut, quemadmodum theologi et juris periti monent, præscriptioni locus non foret, si possessionem nullus ab initio inficeret error. Quocirca qui præscriptionis jure vindicare conantur vasis sepulcralibus martyrum loculos indicari, hi profitentur potius errorem huic sententiæ subesse, quam errorem abesse omnem.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

EXPERIENTIA NON CONSTARE VASA SEPULCRALIA MARTYRII INDICIA ESSE.

Ut autem probari nequit primarium et præcipuum, quod ex traditione aut præscriptione conficiunt adversarii, argumentum : ita pluris faciendum non videtur illud alterum, quod ex experimentis constare volunt.

Id autem hujusmodi est : in uno loculo, vase sanguineo distincto, unum corpus cum pluribus aliorum membris absque capitibus depositum, in aliis vero plura capita absque eorum membris cum uno integro corpore collocata : hujus rei visa esse exempla a Marangonio (1),

(1) Act. S. Victorini, pag. 114.

alia a Marchio (1), alia ab aliis; hæc corpora trunca et præcisa membra reliquias esse martyrum, collectas a christianis, qui partem saltem servabant quum integra cadavera martyrum nancisci non possent : hæc si vidissent, quid stupuissent viri illi qui sibi tunc tandem sapientes videntur, quum optimas traditiones romanas abjiciunt!

Equidem, qui mihi sapiens non videor, sed veritatis indagator, profecto nil stupuissem omnino; sed cogitassem ossuariam aliquam mihi ob oculos objectam esse, quales passim in cœmeteriis et conditoriis cernimus, capitibus vetustioribus positis seorsim, ut novis advenis locus fieret.

At vetitum vexare et movere fidelium ossa, in pace deposita. Fac probent adversarii ecclesiæ leges Romæ servatas fuisse semper; non fuisse innovatas, quod negligerentur; immerito curasse fideles ut imprecationes et diræ in sepulcrorum suorum violatores epitaphiis inscriberentur; absque rationabili causa sategisse ut emptionis titulus sculperetur in locorum claustro; vano timore signasse quibus solis parata esset sepultura; seu hæc omnia facta fuisse frustra, absque judicio.

Sed quid his hæreo? Libenter dandum aliquot id genus sepulcris clausos fuisse martyres; dandum in aliis tumulis, vas sanguineum quoque habentibus,

(1) Monum delle arti cristiane primitive, pag. 118 et 119.

reperta esse corpora, quibus inhæreret adhuc ferrum seu necis instrumentum; dandum demum illud idem vas fuisse repertum ad tumulos, in quorum epigrammate legeretur illic sepultos jacere martyres : quid inde? vasa sepulcralia ad martyrum loculos quoque fuisse posita? id dabimus; proba conclusio est. Sed ex eo quod ad martyrum tumulos id vas reperitur, nequaquam consequens fit id nuspiam reperiri alibi, id martyrii indicium esse, eoque certissime distingui martyrum sepulcra a reliquis.

Cæterum quam manca sit hæc adversariorum ratiocinatio patet ex palmarum fatis. Qui enim ante Muratorium scripserunt (et dolco quod Romæ et in Galliis presbyteri aliquot eodem ratiocinio palmarum significationem defendere pergunt), ii similiter dixerunt : Palmam inscriptam fuisse pluribus tumulis, quibus certissime clauderentur martyres; ergo nil certius constare quam palmam martyrii esse indicium. Quam claudicet hæc ratiocinatio docuit experientia, docetque logica. Nil enim magis valet, quam siquis, inventis ungulis asini, (venia sit comparationi agresti), continuo diceret : Equus habet ungulas solidas; atqui, quas inveni, sunt ungulæ solidæ; ergo sunt ungulæ equi. Demonstrent itaque adversarii ad solos martyrum locos detegi sepulcrales ampullas; et tunc demum qualicumque modo conficiant ex experimentis argumentum, quod tantum valeat ut etiam persuadeatur quintam martyrum par-

tem rationis usum numquam habuisse, post Constantinum æque fidelium sanguinem fuisse fusum ac ante, immo multo copiosius. Prius enim quam constet ad sola martyrum monumenta phialas sepulcrales fuisse positas, non majorem hæc vasa habebunt auctoritatem quam palmæ et alia antiquata martyriorum indicia.

Sed ut supra argumentum ex traditione in argumentum ex præscriptione conversum vidimus, ita quoque argumentum ex experientia in argumentum ex objurgatione mutatur; videlicet sciolos eos esse, qui mediis in musæis, in bibliothecis, in academiis de martyrii signis judicium ferant; quippe non consulendos libros, sed descendendum esse in catacumbas, inspicienda sepulcra; tunc tandem aliter statutum iri.

Sed, si libri nil juvent, quid scripsit Bosius? Quid Aringhius? Quid Boldettius? Quid Bottarius? Quid Marchius? Quid tot alii?

Quid, si tuto in mediis cœmeteriis subterraneis judicium feratur et inviolabilia edantur oracula, de tot tantisque rebus inter se discrepant Bosius et Marchius; Fabrettius et Aringhius; Scacchius et Boldettius?

Quid si extra cœmeteria caligo sit et perpetua nox, Muratorius, Florentiæ degens, vicit palmas non esse martyrii signum; Boldettius vero in perpetuum causa cecidit, quum, etsi diu Romæ in cœmeteriis versatus, tam acriter, tam indefesse propugnavit easdem palmas certissimum martyrii signum esse?

At licet parum illis objurgationibus moveri, quum qui illis utuntur iisdem adhuc ipsarum palmarum significatum tueri posse arbitrentur (a); obliti Scacchium et Fabrettium, qui palmis numquam habuerunt fidem, curandis cœmeteriis fuisse præpositos eosque non tantum pro officio visitasse sæpius, sed eorum res doctissimis illustrasse commentariis. Hactenus de experientia.

(a) Chi studia tra le morbidezze del proprio gabinetto la storia della Roma sotterranea, o per esercizio d' ingegno ne fa soggetto di dispute nella scuola o nella conversazione, può ben ridere e cavillare contro le regole colle quali noi procediamo alla ricognizione delle sante reliquie; ma chiunque colla mente riposata prenda ad esaminarle praticamente, le trova non pur ragionevoli, ma vere. Gl' impugnatori delle palme come segni di martirio che avrebbero ad oppormi, se io loro dicessi, che aperto un loculo il quale aveva improntata una palma nel luogo stesso, dove il più sovente sogliam trovare murata l' ampolla del sangue, che è presso la testa del martire, entro il loculo vi trovai poche ossa abbrustolite dall' ardor delle fiamme? Ma non e questo il campo sui cui dibattere tale questione (1).

(1) Monum. delle arti christ. primit. pag. 119

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

OLIM MARTYRUM SEPULCRA DISCRETA NON FUISSE VASIS SEPULCRALIBUS.

Tertium adversariorum argumentum in signorum legibus nititur, et multis proponitur modis. Ajunt scilicet : Vasa rubefacta certissime adhærent aliquot genuinorum martyrum sepulcris : id dedimus, damusque iterum et tertio; atqui, sic pergunt, si ibi signa sint martyrii, ubique eamdem vim habeant oportet, quum præcipua signorum lex sit ut ubique idem indicent; secus enim non amplius fore signa : atque hæc quoque damus et concedimus; sed demonstrandum superest assumptum, nempe vasa illa, ubi sepulcris martyrum affixa sunt,

ibidem fuisse calci inserta ut martyrii signa forent : quod a multis assertum, a nemine hucusque demonstratum vidimus.

At vero, cum Majo objicies, nisi id assumere liceat eundum erit in Tillemontii et Mabillonii sententiam, qui certissimum martyrii signum illud esse pronuntiarunt, si vetus inscriptio adsit, quæ rem apertis verbis affirmet : verum enim vero id demum fore testimonium, non indicium. Hæc Tillemontii potius opinio quam Mabillonii, qui semper admisit vasa sanguinea, dummodo verus et naturalis infusus fuerit sanguis, martyrii esse signum : quod et nos tenemus, negantes tantum ea vasa vere esse sanguinea, quæ passim eo nomine honestantur.

Sed ad propositam difficultatem ut breviter respondeamus, quærimus ex adversariis qua lege cogamur ad credendum priscos christianos in distinguendis martyrum sepulcris usos fuisse signis et indiciis? Quis antiquorum id ab eis fuisse factum docuit? Quis tradidit hæc indicia vasa fuisse, exterius ad caput sepultorum plerumque posita? Novimus eos martyrum sepulcris sæpius inscripsisse ibidem compositos jacere MARTYRES ; adumbratis vero vasis sanguineis id ab eis fuisse indicatum, neque veteres annales testantur, neque lex ulla innuit. Cæterum idem denuo argumentum ad defendendum palmarum significatum adhibitum olim fuit; et ut nihil valuit in ista palæstra, sic majoris non erit

roboris ad vindicandam auctoritatem vasorum, quæ volunt esse sanguinea.

Sed hæc vasa, inquiunt, vere martyrii signa esse vel inde constare debet, quod olim, quum Paulus I ejusque successores tot ex cœmeteriis in lucem traxerunt sacra corpora, iisdem signis se duci passi sunt : quibus enim aliis indiciis discrevissent martyrum ossa?

Verum enim vero hæ conjecturæ sunt et suspiciones, nullatenus argumenta. Fatetur Boldettius (1), fatetur Marchius (2) Anastasium aliosque, qui illarum translationum meminerunt, nequaquam tradidisse quibus signis aut testimoniis illi pontifices martyrum corpora dignoverint; nullo documento eorum rationem et normam fuisse consignatam; nullis annalibus inscriptam. Quo itaque illi norunt modo quæ sæculis abhinc decem et plus acta sint?

Ast omnino verum non est prorsus ignorari qua ratione veteres martyrum discernerent sepulcra. Exstabant enim catalogi (et quidem pars nondum depertita est), quibus inscripta erant cœmeteria et qui in iisdem sepulti jacerent martyres.

Deinde passiones plures martyrum Romanorum potius historiæ cœmeteriorum sunt quam gesta christianorum pugilum.

(1) Osservaz. pag. 241.

(2) Monum. delle arti crist. primit. pag. 118.

Tertio, quamvis a sævis Longobardis plurimum passa fuissent cœmeteria, nondum tamen oblivioni data fuerant; quemadmodum ab initio sæculi XIII usque ad sæculum XVI factum est; et certe sæculo XI præpositi adhuc erant cœmeteriis clerici custodes.

Quarto ex Chronico S. Michælis ad Mosam, a Mabillonio edito et Calmeto (1), novimus aliquem ex modis, quibus martyrum corpora discerni censebantur; quamquam tunc, ut sæpe alias, in errorem inducti fuere citramontani. Nanterus scilicet, S. Michaelis abbas, comite Coloniensi canonico, prius Garganum montem orationis gratia petierat; deinde perrexerat Romam, ubi corpus sanctum se nacturum sperabat. Ast in suburbanum monasterium cum venisset, graviter infirmatus est. « Spatio igitur ibi trium hebdomadarum retardatus, » cum jam paulatim Dei se respiciente clementia melio- » rari cœpisset; iterum atque iterum cum suo hospite, » super quod eum appellaverat, priorem cœpit repli- » care sermonem, ne se vacuum sineret redire, sed sui » voti compotem, si posset, efficeret. At ille obtulit ei » quædam ossa, dicens de corpore Stephani papæ esse » et Nemesii ejus diaconi : ea, si vellet, pretio emeret. » Cui ille : Audivi, ait, multos nostrorum simili errore » delusos; nec sic facile credas me posse deludi. Nisi » enim videro sepulcrum hactenus intactum et cujus

(1) D. Calmet, Hist. de Lorraine, tom. III, preuv. col. XCIX et C.

» membra intus jaceant me scriptura docuerit; noveris » nullatenus quidquam pretii a quoquam mihi extor- » queri. Penes me, ait hospes, non est alia spes recu- » perandi : sed quia te video inflexibilem ab hac inten- » tione, fraterna dilectione tibi compatior, et ut hodie » profectionem intermittas hortor, donec quemdam » alloquar cimeteriorum custodem, si quo modo tuis » votis prodesse possim. Hæc dicens, properat ad quem- » dam apud sanctum Valentinum commorantem, cuncta » quæ didicerat per ordinem edocet. Qui auditis hujus- » modi causis affatim gavisus est. Magis autem pro- » missis illectus pecuniis, assensum præbuit, corpus » sancti Callisti papæ se daturum pollicitus, omniaque, » sicut abbas ipse requirebat, se ostensurum promisit » et intactum usque nunc sepulcrum, et (quemadmo- » dum in gestis Passionum legitur) in superficie tabulæ » marmoreæ epitaphium exaratum, dummodo in dan- » dis promissis fides adhibeatur dictis. Conventione » igitur facta, ventum est ad cimeterium, ubi semper » ardent lampades. Quo in loco altrinsecus fit juramen- » tum, abbati cimeterii custode in eodem loco, ut libri » Passionum et præsens epitaphium docebat, corpus » esse S. Callisti papæ propria manu jurante; et e con- » tra jussu abbatis Nanteri monacho suo super sacra » spondente quod promissum erat pecuniarum die de- » nominato mittendum. » Securibus dein fracta mar- morea tabula. Porro, quamquam Nanterus tot usus esset

cautelis, quoniam « audiverat multos simili errore delusos » (et certe pleraque martyrum corpora, olim eadem ratione e romanis cœmeteriis in Galliam et Germaniam delata, eruditis pluribus suspecta aut insincera nunc habentur), falsus tamen fuit ipsemet; quum jam pridem e cœmeterio S. Callisti papæ exuviæ in templum urbanum devectæ fuissent. Verum id unum nunc quærimus, quibus indiciis sæculo XI arbitrarentur martyrum dignosci corpora; atque ex hoc loco intelligimus palmarum et vasorum nullum ibidem fuisse usum, sed sepulcri epigrammatis collati cum Passione S. Callisti atque etiam cum testimonio custodis. Alia signa non agnoscebat Nanterus, ut testatur ipsemet aperte.

Nec dubium est quin similia adhiberentur, quum tumuli essent anonymi. Etenim ex cœmeteriorum historia constat in ingressu plurium viarum inscriptiones fuisse positas, quot ibidem sepulcri quietem adepti essent martyres, quin singulorum nomina recenserentur : unde factum est ut, quum efferrentur eorum exuviæ, numerus indicaretur, adjecta phrasi : QUORUM NOMINA DEUS SCIT.

Ubi autem contingeret ut nil certi sciretur, non prius corpora publicæ populorum exponebantur venerationi, quam miraculis aliquot ostendisset Deus vere sanctorum esse reliquias; seu etiam judicio Dei, igne scilicet aut aqua, probarentur. Sed sæpius de hac materia scriptum, quam ut ulterius eam explicem.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

VASA, QUIBUS VOX SANGUIS INSCRIPTA EST, ET ALIA SINGULARIA MONUMENTA, DETECTA A CRESCENTIO, ESSE TOTIDEM FICTIONES.

Argumentum quartum, quo adversarii a se constitui arbitrantur vasa sepulcralia martyrii indicia esse, ducunt ab vasorum epigrammatibus. Si satis non sint, inquiunt, argumenta alia, oculis saltem habeatur fides. Calci scilicet, qua tumulis adhærebant vascula, inscripserunt aliquando veteres esse sanguinem : sic in uno legitur SA SATVRNII, id est *sanguis Saturnii;* in alio SANG, id est *sanguis* Victoris : Victor enim quidam illic sepultus fuerat; in tertio demum S. Nicasii SA, quo *sanguinem* quoque indicari manifestum est. Non repugno.

Verum enim vero, qui tanta hæc vascula objiciunt fiducia, quidni doceant sincera esse? In medium enim prolata fuerunt, non a Bosio aut ab alio viro fido, sed ab abbate Jacobo Crescentio, ut Severanius, Bosii editor, luculente testatus est (a). Porro, si quosdam audias, nemo sanctior Crescentio; equidem nullus dubito omnem ei denegare fidem, quoniam multas res incredibiles ipse solus invenit.

Initium ducamus ab invento S. Caji papæ tumulo. Gregorius XV in mandatis dederat cardinali Petro Paulo Crescentio, atque hic fratri suo germano Jacobo, abbati Nursino, sacras reliquias e cœmeteriis extrahere. Impigre operam suam in hac re posuisse legitur Jacobus, sedulo perscrutatus Callistianum sepulcretum. « Ali- » quando autem, cum post totius ferme diei laborem » ex infimis illis spelæis auræ captandæ gratia egressus, » pensum sacerdotalium precum in campo inter basi-

(a) La forma di questi vasi non è stata posta dal Bosio, nè si sono trovati detti vasi doppo la sua morte : però ci è parso porre in questo luogo il designo di quelli, che furono trovati nel medesimo cimiterio, quando l'ill^mo signore abbate Crescentio per ordine della fel. me. di Gregorio XV lo visitò e ne estrasse molti corpi santi (1).

(1) Roma sotterr. lib. III, cap. XXIII, pag. 197.

» licam S. Sebastiani et Pauli, sacris sepulcris immi-
» nenti, constitisset persoluturus, animadvertissetque
» exsolvendas occurrere vespertinas horas pervigilii diei
» sancto Cajo dicati, oculos ad cælum attollens : Uti-
» nam, inquit, sanctissime pontifex, cujus invenien-
» darum reliquiarum desiderio jam pridem ardeo, hac
» die, qua cum universo orbe christiano triumphalem
» tuam recolo memoriam, meis benignus votis adesses;
» quam præclare cum qualibuscumque laboribus, aucto-
» ritate tui successoris a me libentissime susceptis,
» actum putarem. Iis ita non minus animo quam
» voce conceptis, instantibus tenebris, domum sese
» recepit, totamque noctem pio desiderio Caji visendi
» transegit. Vix dies illuxerat, adest a Stephano Figino,
» ex Benedicti familia illustri et basilicæ S. Pauli pri-
» mate, quem pridie urbem petens Crescentius ope-
» rariis præfectum reliquerat, missus vir cubantique
» adhuc abbati nuntiat pridiano vespere, statim ab
» ejus digressu, sepulcrum Caji pontificis detectum.
» Ille, sumptis propere vestibus, alacritatis alis ad
» optatum locum accurrit; cernit in latere cryptæ,
» repurgatis arenis quibus obruebatur, sepulcrum in
» arenaria tellure tempestatis illius more extructum,
» opere lateritio munitum, plumbique fusilis ferramine
» compactum, quo juncturæ genere nullam sepulcra-
» lem urnam antea viderat solidatam. Media in late-
» ritia tabula ejuscemodi nota palmaribus literis excisa

» videbatur, subsequenti signo rami palmæ et Christi
» nominis

CAIO PP.

» Venerabundus itaque genibus humi positis cum
» adstantibus, precibus quas tempus et loci pietas sug-
» gerebat pie pro gratiarum actione effusis, Crescen-
» tius lateritia illa munimenta summa diligentia
» reserat; invenit humani corporis ossibus integris
» compagem, supino situ jacentem, indice digito de-
» xteræ manus annulum ex auricalcho, pontificium
» insigne, pro illorum temporum pia modestia reti-
» nentem; aliquot æreos nummos cum Diocletiani
» effigie, temporis absque dubio indices, intra corpus
» exstantes : quibus omnibus decenti cura, cum aliquot
» sacris corporibus, collectis et ad urbem allatis, res
» vulgata Gregorium magno affecit gaudio etc. » Hac-
tenus Marnovitius (1).

Universa hæc comœdia (quo enim alio designetur nomine) exponenda visa est ut lector judicium ferat de Crescentii indole et agendi ratione : quis enim dubitet quin hæc ipse prius composuerit omnia, quam in ea inciderint operarii? Mitto juncturæ genus num-

(1) Ap. Farlato, Illyricum sacrum, tom. II, pag. 550.

quam visum antea; annulum ex auricalcho, pontificium insigne; corpus S. Richardi (quod nomen francicum inter martyres romanos exspectasset nemo) tunc quoque et simul cum S. Caji corpore fuisse inventum; hæc aliaque æque mirabilia lubens omitto, quoniam solius S. Caji corporis inventio satis est, ut medias inter fabulas seu potius fraudes nos hic versari intelligamus.

Ut enim nil dicam de corpore S. Caji papæ, quod anno 1588 ex Callistiano quoque cœmeterio erutum ferebatur, atque in Bavariam missum Bambergæ præcipue colitur, (id enim insincerum etiam est;) in ipsa urbe Roma, in templo ipsius S. Caji, anno 1631 retectum est corpus illius pontificis una cum corpore S. Gabini, ejus fratris (1); quod quamvis multa alia loca id se possidere putent, verisimiliter probum S. Caji papæ corpus est.

Quod si tamen id negaveris, parum ad nos, contendentes solummodo verum S. Caji pontificis corpus detectum non fuisse a Crescentio, sed suppositum. Genuinum enim S. Caji corpus numquam sepultum fuit in ea Callistiani cœmeterii parte, quæ ineunte sæculo XVII patebat, sed in ea quæ S. Sixti dicebatur cœmeterium et paucis abhinc annis a cl. v. De Rossi revelata

(1) Cfr. Acta SS. tom. III Aprilis, pag. 982 et seqq.; Farlato, Illyricum sacrum, tom II, pag. 548 et seqq.; Novaës, Storia de' sommi pontefici, tom. I, pag. 96.

est. Quod autem illic quietem sepulcralem nactus esset S. Cajus, ex his S. Damasi papæ carminibus, quæ nunc fere restituere licuit, discimus (1) :

HIC CONGESTA IACET QVÆRIS SI TVRBA PIORVM
CORPORA SANCTORVM RETINENT VENERANDA SEPVLCRA
SVBLIMES ANIMAS RAPVIT SIBI REGIA CŒLI
HIC COMITES XYSTI PORTANT QVI EX HOSTE TROPÆA
HIC NVMERVS PROCERVM SERVANT QVI ALTARIA CHRISTI
HIC POSITVS LONGA VIXIT QVI IN PACE SACERDOS
HIC CONFESSORES SANCTI QVOS GRÆCIA MISIT
HIC IVVENES PVERIQVE SENES CASTIQVE NEPOTES
QVEIS MAGE VIRGINEVM PLACVIT RETINERE PVDOREM
HIC FATEOR DAMASVS VOLVI MEA CONDERE MEMBRA
SED CINERES TIMVI SANCTOS VEXARE PIORVM
XYSTI DIONISII CORNELII FELICIS PONTIANI FABIANI GAI
EVSEBII MELTIADIS STEFANI VRBANI LVCI MANNVS ANTEROS
NVMIDIANI LADICEI IVLIANI POLICARPI OPTATI

Porro hinc translatum fuit S. Caji seu Gaji corpus a Paulo papa I, et in monasterio S. Silvestri conditum, quemadmodum ex tabula coæva marmorea, quam supra capite v exhibuimus, constat. Neque dici potest alterius esse S. Caji; apertis quippe verbis in antiquissimo illo marmore legitur : MENSE APRIL. D. XXII. N. SCI GAII PAPÆ. Invenire itaque non potuit Crescentius anno 1622 S. Caji corpus in Callisti cœmeterio, quod octo sæculis ante e suo loculo sublatum fuerat. Quid ergo de universo hoc negotio sentiemus? quid de illius viri fide?

(1) Mai, tom. V, pag. 37; Civiltà cattolica, tom. VII, pag. 127.

quæ ei, retecta hac fictione, auctoritas superesse potest?

Neque discedendum a mendace illo monmumento, quin lectori revocemus in memoriam id unum esse ex sepulcris, quibus ante Constantini ævum Christi monogramma inscriptum fuisse voluerunt. Id capite XIX monuimus; ubi simul diximus idem prædicari de Marii et Alexandri tumulis : sed ut hi quoque a Crescentio inventi (1), ita etiam ejus elevant fidem : de qua una re nunc agimus.

De iis autem epitaphiis maxime varia fuit eruditorum sententia : alii enim voluerunt ea esse sincera; alii conficta; et alii demum non quidem conficta, neque omnino sincera aut coæva, sed posita uno tempore, aut sub Antonino, aut etiam sæculo IV aut V. Ut lector ipse judicium ferat, exhibenda sunt epigrammata.

†

ALEXANDER MORTVS NON EST SED VIVIT SVPER AS
TRA ET CORPVS IN HOC TVMVLO QVIESCIT VITAM
EXPLEVIT CVM ANTONINO IMP. QVI VBI MVLTVM BENE
FITII ANTEVENIRE PREVIDERET PRO GRATIA ODIVM
REDDIT GENVA ENIM FLETENS VERO DEO SACRIFICA
TVRVS AD SVPPLICIA DVCITVR O TEMPORA INFAVSTA
QVIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QUIDEM
SALVARI POSSIMVS QVID MISERIVS VITA SED QVID MISERIVS IN
MORTE CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI
NEQVEANT TANDEM IN CÆLO CORVSCAT PARVM
VIXIT QVI VIXIT IV. X. TEM.

(1) Bosio, Roma sotterranea, lib. III, cap. XXIII, pag 216.

Altera est hæc :



TEMPORE ADRIANI
IMPERATORIS
MARIVS ADOLESCENS DVX
MILITVM QVI SATIS VIXIT
DVM VITAM PRO CHO CVM SAN
GVINE CONSVNSIT IN PACE
TANDEM QVIEVIT BENEMERENTES
CVM LACRIMIS ET METV POSVERVNT
ID. VI.

Verum enim vero eumdem utriusque epigraphes auctorem fuisse his demonstrat Zaccaria (1) : « Conferamus, » inquit, quæso utramque : VITAM EXPLEVIT : ita in » Alexandri titulo legimus; VITAM CONSUNSIT inscriptum » Marii tumulo. PARUM VIXIT QUI VIXIT : sic Alexandri » inscriptio; Marii autem contrario lusu : QUI SATIS VIXIT. » At quid illud in Marii lapide : CUM LACRIMIS ET METU » POSUERUNT? vin' horum verborum interpretationem? » recole Alexandri epitaphium : O TEMPORA INFAUSTA, » QUIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QUIDEM SALVARI » POSSIMUS! QUID MISERIUS VITA? SED QUID MISERIUS IN MORTE, » CUM A PARENTIBUS ET AMICIS SEPELIRI NEQUEANT? En eadem » utrobique orationis series, eadem dictionis indoles. » Nec dicam ego geminas hasce inscriptiones ab eodem » fuisse parente profectas? Qui styli similitudinem non » immerito urgent, quum de cujuspiam lucubrationis

(1) Ibid. pag. 107.

» auctore dubitatio injicitur, ullamne ista majorem inve-
» nire se posse confidant? »

At si unus idemque utriusque epigrammatis auctor, quis is demum fuerit, aut quo vixerit tempore? Sensit Reinesius (1) illa « rhetorem quemdam quarti quintique » sæculi potius sapere quam Antonini tempora et pri-
» mævam christianorum simplicitatem; » quam sententiam et argumentationem alii deinceps enucleatius exposuerunt. Zaccaria sæpius mutavit sententiam : primo falsitatis arguit utrumque epitaphium; « postea animo
» recolens summam, quæ Romæ adhibita semper fuit,
» diligentiam tum in custodiendis effodiendisque cœme-
» teriis tum in cognoscendis tractandisque veteribus
» monumentis, fraudi in hisce rebus, ut loquitur, esse
» locum non posse intellexit, » et sensit utrumque positum fuisse titulum sæculo IV aut V, quum restituerentur cœmeteria; neque hic stetit : sed demum in eam venit opinionem ut Marii epigraphen non coævam Hadriano esse diceret, quum hæc ex titulo verba : Tempore Adriani manifesto post ejus mortem scripta fuerint : non enim ea de vivis adhiberi solita : et utramque proinde inscriptionem imperante Antonino sculptam fuisse.

Verum non omnes a prima sua avulsit sententia Zaccaria, quum ipse ab ea discessit. Complures enim

(1) Syntagma, pag. 953.

persuasum habere pergunt, nedum summa diligentia cœmeteriis custodiendis semper adhibita fuerit, summa negligentia ea plerumque fuisse observata : testimonio esse innumera medio ævo, atque etiam dum viveret ipse Zaccaria, patrata furta (1). Interea satis nobis sit animadvertisse parum interesse diligenterne an negligenter cœmeteria fuerint habita, quum falsitatis crimen in ipsum curatorem Crescentium redundet.

Et sane quis eum hoc crimine liberet? Imprimis nuspiam amplius præclarissimi illi lapides apparent, et dubium est iine exhibiti fuerint Severano, an apographa tantum inscriptionum ; præterea nemo umquam tradidit quo martyrum corpora, quæ illis lapidibus aliquando essent clausa, delata fuissent. Ex quo capite hæc inventio magis adhuc fit incredibilis quam illa S. Caji; quam tamen nemo falsissimam habere nequit.

Insuper tum Marii, tum Alexandri epigrammata leguntur posita a viris METU pavidis, quod NE IN CAVERNIS QUIDEM SALVARI POSSENT NEC AMICOS ET FILIOS SEPELIRE ; sed quis hæc de Hadriani temporibus dixerit? quem constat potius favisse christianis quam adversatum esse; ita ut pauca, quæ tunc facta sint martyria, non tam sævitiæ et acerbati temporum quam singularibus rerum adjunctis passim ab eruditis adscribantur. Atque ob

(1 Cfr. Marangonius, ap. Majum, Scriptt. vett. tom. V, pag. 471 et 472.

hanc quoque causam non parum admirationis creat Marii lapis, quod vitam cum sanguine fuderit Hadriano imperante.

Demum, ut nil dicam de insolenti utriusque inscriptionis modo, quem ab aliis jam animadversum monuimus, ipsa ratio qua ADRIANI scribitur nomen, manifestum forte facit esse figmentum recens. Omnibus enim Hadriani numis inscriptum est HADRIANUS, nequaquam ADRIANUS (1); quos quum christiani et gentiles quotidie tererent manu, monumentis similiter HADRIANUM inscribebant (2). In lapide vero pro vulgari recentique more adspiratio omittitur.

Non minus difficilia sunt verba DUX MILITUM : priusquam enim imperii sedes primaria translata fuisset Byzantium, nemo nisi supremi post imperatorem legati *duces* dicebantur (3); tunc autem ex versione vocabulorum græcorum dignitates aliquot *ducatus* dici cœpti sunt et qui iis ornabantur *duces* (4) : antea vero tam rari erat usus illa vox, ut quum Muratorius (5) in lapide

(1) Cfr. Eckhel, Doctrina numorum, tom. VI, pag. 473.

(2) Cfr. Reinesius, Syntagma, index, cap. XXI; Muratori, inscriptt. pag. MMCL.

(3) Facciolati, Lexicon, v° DUX; Gesner, Linguæ romanæ thesaurus, v° DUX.

(4) Pitiscus, Lexicon antiquitatis, v° DUX.

(5) Inscriptt. pag. DCCXVI, num. 5.

hispano reperisset DUCEM LEGIONIS VII, continuo addiderit : « DUX LEGIONIS nuspiam antea mihi occurrit. »

At enim, inquies, quidni similiter singularia exempla sunt DUX MILITUM, TEMPORE ADRIANI etc.? Sed, quæso, quid omnia singularia concurrunt in Crescentianis inventis? Monogrammata ante Constantini ævum; epitaphia plena antithesibus et ludis verborum; ADOLESCENTES qui TEMPORE ADRIANI sint DUCES MILITUM; METUS et vitæ desperatio, cum molliter satis fluerent tempora; martyria, quæ nemo umquam fuisset suspicatus etc. Quid? etiamsi ignobile figmentum S. Caji papæ tumuli non haberemus, vel hæc sola sufficerent ut Crescentium fictorem fraudulentum Marii et Alexandri epigrammatum diceremus.

Quæ quum eo sint loco, confidenter quærimus quam fidem debeamus ullis Crescentii inventis; et, ut ad vasa sepulcralia redeamus, quid jam sentiendum sit de ternis vasis Crescentianis, inscriptis : $\overline{\text{SA}}$ SATURNII, $\overline{\text{SANG}}$, et $\overline{\text{SA}}$? maxime quum facillima hic fuerit fraus; hæ enim notæ inscriptæ fuere calci, ipsa vasa circumdanti.

Et quidem fraudis suspicionem ingerit vel sola literarum forma; quæ ubique eadem est; ita ut certo certius ejusdem manus sint tres illæ epigraphæ. Adde literam A ibidem ubique scribi eodem prorsus modo, scilicet A; quæ omnium tunc minime erat usitata norma, adeo ut vix appareat inter centenas inscriptiones cursivas, quas Pompei collegit Raphaël Garrucci, et

similiter inter cœmeteriales, quas repræsentavit Perret.

Sed, quod præcipuum est, neque ante neque post Crescentium similium vasorum specimina inventa fuere. Unde itaque fit ut ipse solus tam beatus cœmeteriorum curator fuerit? Audacter dicamus sepulcri S. Caji papæ auctorem et SS. Marii et Alexandri titulorum fabrum notas quoque illas calci inscripsisse.

Quodsi hæreas, ne saltem argumenta deducas ex notis, quæ ipsis eruditis italis adeoque romanis suspectæ aut falsæ habentur; id maxime suadent communes prudentiæ leges, nisi prius omnia quæ Crescentio impinguntur crimina dilueris. Hactenus de famosis vasis Crescentianis.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

EXPERIMENTUM CHEMICUM LEIBNITZII NULLIUS ESSE AUCTORITATIS.

An ultimo demum loco disserendum esset de argumento adversariorum chemico diu ambiguus fui. Sed quum nonnulli ex iis, qui sentiunt vasa sepulcralia martyrii indicia esse, eo etiamnum utantur, dicemus de eo, sed quam brevissime.

Ducitur id ex his Leibnitzii ad Fabrettium scribentis verbis (1) : « Frustum fialæ vitreæ, ex cœmeterio Cal-
» lixti allatum, rubedine tinctum, examinavi nonnihil,
» ut facilius discerni posset cujus ea generis esset, et
» utrum, ut physici hodie loquuntur, ex regno animali,

(1) Fabretti, Inscriptt. antiq. cap. VIII, pag. 556.

» an potius minerali esset profecta. Et venit mihi in » mentem uti solutione salis ammoniaci, ut vocant, et » in aqua communi attentare, an ejus ope aliquid a vitro » separari atque elui posset. Id vero subito et supra » spem successit. Indeque nata nobis merito suspicio » est sanguineam potius materiam esse quam terrestrem » seu mineralem, quæ vi corrosiva prædicta tanto tem- » pore altius in vitrum fortasse descendisset, nec lexivio » tam subito cessisset. » Atque hæc sibi opitulari arbitrantur adversarii aliquot : quamquam ii, qui vel a limine artem chemicam salutarunt, hæc omittunt plane, probe scientes nil hinc confici posse.

Et quidem Leibnitzius pro laudabili sua prudentia nil asseverat; suspicionem sibi natam esse dicit; certe non scit fuisse sanguinem, sed putat sanguinem potius fuisse quam materiam terrestrem : neque aliter statuimus, rati materiam fuisse vegetalem seu crassamentum vini; quod, utpote olim organizatum, materiæ sanguineæ magis accedit quam terrestri. Sed omittamus hæc ludicra; quum satis superque constet nil ex Leibnitzii experimentis concludi posse : cujus tamen rei culpari nequit præstantissimus vir, quum centum tantum annis post ars et scientia chemica nata fuerit.

Equidem, non quod dubitarem, multo minus crederem sanguinem phialis sepulcralibus olim infusum fuisse, sed ut novo argumento, ex ipsa pristini liquoris conditione desumpto, adversarios impugnarem, duos

viros, quorum alter præcipue rei chemicæ peritissimus est, rogavi semel et iterum ut similis frusti vitrei, rubedine tincti et ex martyris cœmeterialis desumendi loculo, examen instituere vellent. Ad quod obeundum officium initio quam promptissimi erant; sed brevi, quum recogitassent quatuordecim aut quindecim jam elapsa esse sæcula, ex quo tempore vasa sanguinea fuere parietibus inserta, omnino renuerunt suam præstare operam, quod eam plane inutilem crederent. Ut tentamentum saltem fieret rogavi, opponens ad propositam ab iis difficultatem, in cœmeteriis humidioribus ossa satis bene fuisse servata; quædam vasa fuisse reperta quæ liquidum adhuc humorem continerent; sub cineribus Pompejanis detecta fuisse vasa testacea quibus adhuc inesset vinum liquidum; ibidem saponem, nondum in elementa resolutum, fuisse inventum; triticum adhuc vivum, et alia id genus; neque indefinite et incertis quasi manibus quærendum, sed videndum an nulla vestigia sanguinis aut vini superessent : non extra hos limites currendum. Sed surdis cecini, quod certum haberent solas materias insolubiles a se repertum iri; potassium inutile hic fore detegendo azoto; et methodum, qua vulgo sanguinis reliquiæ dignoscantur et quæ in præsenti argumento ad solum colorem pertineret (a),

(a) L'infusion de noix de galle (dans l'eau colorée de la matière rouge du sang) y détermine un précipité de la même

nimis esse dubiam quam ut aliquid certi hinc deducere liceret (a).

nuance que celle du liquide, propriété que n'a aucune des substances capables de colorer l'eau comme le fait le sang (1).

(a) Die 24 junii hujus anni has literas accepi : « Je ne veux pas que vous accusiez mon indifférence ou ma négligence : j'ai pensé souvent et sérieusement à ce qu'il me fallait faire dans l'intérêt de la vérité; sous ce rapport, je pense comme vous, et j'adopte l'adage : *Fiat justitia et pereat mundus.* Mais la question se présente pour moi et à mes yeux sous un autre point de vue, et je me suis demandé si j'avais des motifs, ou du moins un motif suffisant, pour proposer.... de procéder à l'ouverture de la châsse; et je me suis répondu, comme je vous l'avais déjà dit à Bruxelles, que je n'en trouvais aucun. Je prévois, en effet, que tous mes arguments chimiques seront des arguments négatifs, qui à vous-même n'offriront aucun point d'appui. Les réactifs, indiqués par les auteurs, peuvent bien s'appliquer à du sang qui ne soit pas frais, mais non pas à celui qui, gardé pendant plusieurs siècles, a dû subir toutes les phases de transformation, par lesquelles la matière jadis organisée est passée à l'état inorganique. Les liqueurs à employer sont ensuite telles que, supposé même que je vienne à observer les teintes diverses qu'elles don-

(1) Briand et Brosson, Manuel complet de médecine légale, pag. 166.

Re quidem vera si phialas haberemus, quæ ita clausæ fuerunt ut liquor adhuc insit (cujus rei exempla non

neraient à la dissolution aqueuse du corps en question, je resterais encore dans le doute par défaut de comparaison avec du véritable sang conservé pendant un égal laps de temps. Voilà les motifs de mon abstention, et je vous prie de les considérer; ne glissez pas facilement sur un élément, qui a une grande puissance; c'est l'*irremediabile tempus*, ou bien le *tempus edax rerum.* »

Et quum iterum institissem, die 2 julii hoc alterum responsum accepi : « Vous attaquez la difficulté que je vous ai exposée, et vous me dites qu'après dix-sept siècles on a trouvé à Pompéi du blé qui a germé, du vin non aigri, et, ce qui a étonné les chimistes bien davantage, du savon. Mais votre argumentation manque de parité suffisante. Car le blé, le vin et le savon ont été conservés à Pompéi sous une épaisse couche de laves ou de cendres volcaniques, et le vin, probablement, dans des vases bien bouchés. Au contraire, la matière rouge en question n'est renfermée que dans des vases poreux, mal bouchés, et a été exposée à toutes les vicissitudes de température, d'humidité, favorisant l'oxigénation. Je dois donc m'attendre à n'avoir à traiter que des matières insolubles, et par conséquent à voir échouer les réactifs. Vous n'aurez ainsi que des arguments négatifs. C'est pourquoi je persiste dans mon sentiment et je me sens corroboré par une lecture que je viens de faire des Comptes-rendus de l'Académie de Paris. Voici la ques-

defuere), aliqua affulgeret spes discernendi quis ille reapse sit humor; sed quum crassamentum tantum aliquod rubrum supersit, indicium evidens est materiam illam circumdantis aeris vi et mutationi fuisse obnoxiam, neque proin futurum ut prima natura et conditio dignosci queat.

Atque hæc de argumento Leibnitzii chemico satis, quum nunc nemo, aliquantisper doctus, id fuisse serium dixerit.

tion : « Le foie fabrique-t-il du sucre? » Après quelques louanges données à l'auteur du mémoire examiné, la commission conclut en disant : « Tous ces phénomènes de colo-» ration, de réduction produits par des matières organiques » sont trompeurs et incertains. » J'omets le reste; on y parle dans le même sens. (Comptes-rendus, n° 25, 28 juin 1855, page 1282.) Les commissaires furent Pelouze et Dumas, chimistes, Rayer, médecin. »

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

VASIS SEPULCRALIBUS VINUM EUCHARISTICUM CONTENTUM FUISSE VIDERI.

Arbitramur præcedentibus capitibus a nobis demonstratum fuisse nulla omnino re suaderi vasa sanguinea naturali sanguine umquam impleta fuisse; quin etiam id credi non posse, quum post Constantini triumphum sæpius appareant illa vasa tumulis inserta quam ante, et quum quinta martyrum pars dicenda foret ante expeditum rationis usum cruentam pro fide obiisse mortem.

At si naturalis sanguis non sit, quid demum erit? Equidem intactam hanc relinquere possem quæstionem et nude respondere eam materiem fuisse aliquem liquorem rubrum, qui tamen sanguis non sit : quum id unum ostendendum assumpsimus vasa quæ dicuntur

sanguinea, neque esse posse sanguinea, neque martyrii indicia.

Verumtamen, si tanti lector faciat conjecturas nostras, aperte dicemus (quemadmodum initio jam monuimus) videri nobis crassamentum id esse vini eucharistici : hæc tamen duo probe animadversa volentes ; prius nobis sermonem non esse de vasis quæ intra tumulos aliquando reperta sunt et vere sanguinem naturalem continuerunt, sed de alio omnino genere, scilicet de vasis quæ exterius calce adhærent sepulcris et quæ aliquando similia retecta fuere interius ; dein hæc non ut res certas a nobis proponi, sed ut meras conjecturas ; quas confutare et rejicere licet, quin ullum detrimentum fiat præcipuo nostro argumento, vasa nempe, quæ dicuntur sanguinea, martyrii indicium non esse.

Quod ut exemplo mentem declarem, si ostenderim v. g. Joannem non esse Petri filium, quoniam Petrus biennio ante Joannis nativitatem obierat ; et si dein addiderim videri Paulum Joannis esse patrem, tu vero demonstraveris conceptionis tempore Paulum in partibus ultramarinis vixisse ; nil tamen hinc profeceris ad suadendum Petrum Joannis parentem esse. Similiter, fac vasis sanguineis olim contentum non fuisse vinum eucharisticum ; hinc tamen non sequitur infusum fuisse sanguinem martyrum ; quum præter sanguinem et vinum multi alii liquores sint rubri. Ultra modum hæc nuda et aperta, et tamen annotanda.

Jam si quæratur quare potius vini eucharistici crassamentum hæc habeamus quam alius liquoris rubri, en paucis nostra ratiocinatio. Certe is liquor talis fuit, qui usibus christianis inservierit; qui a re funerea non fuerit alienus; et qui sæpe ruber fuerit, non tamen semper : atqui hæ dotes in vino eucharistico deprehenduntur, neque alia substantia proposita fuit de qua eadem prædicari posse videntur; sequitur itaque id vinum eucharisticum habendum esse.

Neque hæc nova sententia est : Aringhius enim, cujus verba capite III dedimus, hanc jam proposuit opinionem; minus tamen firmiter ei adhærens. Alii eam renovarunt deinceps; atque etiam recentissimis temporibus.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

OLIM SACRAM EUCHARISTIAM, ETIAM SUB SPECIE VINI, SEPULCRIS APPOSITAM FUISSE.

Ut Aringhii sententiam, quantum fieri potest, probemus lectori, investigemus oportet veteres de exsequiis mortuorum romanos ritus. Primus eos explicuit Amalarius, et quidem docte et erudite : « Aperte, inquit (1), » dominus Beda, (imo monachus Lindisfarnensis coævus (2),) declarat in exsequiis sancti Cuthberti quomodo vestiri oporteat sacerdotem defunctum. Ita enim

(1) De eccl. offic, lib. IV, cap. XLI, ap. Migne, Patrologia, tom. CV, col. 1236.

(2) Act. SS. tom. III Martii, pag. 123.

» scribit de ejus exsequiis. Postquam ergo sanctæ me-
» moriæ Cuthbertus episcopus, peracta communione,
» elevatis oculis et manibus ad Deum, commendans ei
» animam suam, emittens spiritum, sedensque, sine
» gemitu abiit in viam patrum, navigantibus ad insulam
» nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario
» circumdato, OBLATA SUPER PECTUS SANCTUM POSITA, vesti-
» menta sacerdotalia indutus, in obviam Christi calcea-
» mentis suis præparatis, in sindone cerata involutus,
» animam habens cum Christo congaudentem. Non est
» dubitandum quin ipse mos esset apud Romanam
» ecclesiam in hac re, qui apud Anglos fuit, præsertim
» cum ex illa primum episcopum Augustinum haberent
» Angli Saxones, et eo tempore quando celeberrima
» fuit Romana ecclesia propter auctoritatem doctissimi
» ejus episcopi Gregorii, et postea ex eadem ecclesia
» habuerunt archiepiscopum Theodorum in utraque
» lingua, scilicet græca et latina, peritissimum. » Hæc Amalarius.

Neque ex S. Cuthberti Vita tantum, sed ex ipsius S. Gregorii Magni scriptis ostendere potuisset OBLATAM SUPER PECTUS SANCTUM defunctorum fuisse POSITAM. In Vita enim S. Benedicti, quæ libro secundo Dialogorum concluditur, narrat maximus ille pontifex miraculum de puero monacho, qui clam S. Benedicto ad parentes iverat et in eorum ædibus vita fuerat functus. Bis nempe terræ corpus mandatum et bis rejectum fuerat.

« Tunc parentes concite ad Benedicti patris vestigia cur-
» rentes, cum magno fletu petierunt ut ei suam gratiam
» largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus
» communionem dominici corporis dedit dicens : Ite
» atque hoc DOMINICUM CORPUS SUPER PECTUS EJUS CUM
» MAGNA REVERENTIA PONITE, et sic sepulturæ eum tra-
» dite. Quod cum factum fuisset, susceptum corpus ejus
» terra tenuit, nec ultra projecit. » Neque omittenda Relatio Isonis, sæculo IX S. Galli cœnobitæ, de sublevatione corporis S. Othmari abbatis, qui anno 759 obierat. In hac legitur (1) : « Sub capite autem et circa
» pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo
» oblatæ dicuntur, ita illæsæ atque ab omni corruptione
» extraneæ ab eodem episcopo (Salomone) inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel speciem
» sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium
» ipsius hebdomadæ viderentur esse confectæ. Quo
» vero ordine quove in tempore eo loci pervenerint,
» nobis quidem incognitum, Deo novimus esse manifestum. Hoc tamen omnes pro certo scimus, quod
» per triginta quinque annos nullus mortalium ejus
» sepulcrum aperuit..... Idem tamen episcopus venerabiliter eas adsumens sacro corpori apposuit. »

Ex quibus locis, maxime ex illo S. Gregorii papæ, consequitur non in solis episcoporum tumulis, verum

(1) Act. SS. Ord. S. Benedicti, sæc. III, part. II, pag. 165.

etiam in aliis sacram eucharistiam positam fuisse. Atque hic mos ab orientalibus quoque fuit usurpatus, ut ex his constat, quæ ementitus Amphilochius de S. Basilio tradit, narrans hunc beatissimum virum testamento curasse ut tertia hostiæ pars secum sepeliretur (1). Quem morem omnino diversum fuisse ab abusu dandi sacram eucharistiam mortuis, in Africa Gallia, Germania et Oriente sæpius damnato, jam pridem annotavit Menardus (2) et post eum Chardon (3).

At vero, inquies, omnibus his locis de specie panis agitur, nequaquam de specie vini. Recte. Sed hanc quoque speciem sæpius fuisse appositam maxime verisimile, ne dicam certum, jam faciemus, exordio ducto ab exemplis.

S. Birinum presbyterum Romanum ab Honorio papa in Angliam missum, dein episcopum factum Dorcestriensem atque anno demum 650, juxta Chronicum Anglosaxonicum (4) vita functum, secundum ritus romanos sepultum fuisse nullus non habebit persuasum. Porro quum ineunte sæculo XIII inter Wintonienses et Dorcestrienses de beatissimi viri corpore lis orta esset,

(1) Act. SS. tom. II Junii, pag. 952.

(2) Not. 679 in Libr. sacram. S. Gregorii, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXVIII, col. 473.

(3) Hist. des sacrements, tom. II, pag. 255.

(4) Giles, The v. Bedes e. history of England also the Anglo-Saxon Chronicle, pag. 320.

atque Honorius papa III Stephano Langhtonio, archiepiscopo Cantuariensi, hoc negotium commendasset; hic archidiacono suo rei cognitionem commisit. Testes examinati; sepulcrum Dorcestriense, quod S. Birini esse dicebatur, apertum; et, ut habent Acta (1), « inventa sunt ossa, ordine naturali posita, carne in » cineres redacta. Inventus est et annulus; crux » plumbea super pectus; QUIDAM CALIX PARVUS; particulæ vestimentorum suorum; duæque stolæ, licet » non integræ; inventa est etiam quædam bursa serica » super pectus ejus; quædam pera, ex una parte auro » contexta : asserebant enim omnes quod in ea fuerit » palla prædicta CUM CORPORE CHRISTI. »

Germania ritus quoque sequebatur Romanos; quibus cognoscendis opportuna idcirco quoque erit historia inventionis et translationis corporis S. Udalrici, quod anno 973 depositum est, et anno 1183 terra effossum. « Inventum est igitur, inquit oculatus testis (2), corpus » sanctissimi confessoris.... cum quibusdam particulis » pontificalium induviarum, necdum vetustate consumptarum et in dextro latere AD CAPUT PIXIS ARGENTEA, » admodum nitens sacello holoserico, et IN PIXIDE (ut » quidam dicebant) SANGUIS DOMINI ET ALIA SANCTA conti-

(1) Ap. Alfordum, Annales eccles. angl. saxon. ad an. 650, num. v, tom. II, pag. 273.

(2) Act. SS. tom. II Julii, pag. 131.

» nebantur. Inventa est etiam cistella serata, admodum » magna, quæ omnia plena erant et referta reliquiis » sanctorum. »

Quodsi ad principia, quibus priscis temporibus res eucharistica nitebatur, veniamus, facile unusquisque intelliget quam pronum esset ut, si Christi corpus, sanguis quoque apponeretur. Multa scilicet suadebant ut (quantum fieri posset) ne species vini separaretur a specie panis. Imprimis sedulo curandum erat ne faveretur Manichæis, quos vini speciem detestatos fuisse nemo non novit : quocirca etiam sæculo v cavit S. Leo (1) et post eum S. Gelasius (2) ne quis solam panis speciem reciperet. Deinde, quo perfectius missæ sacrificii fideles fierent participes, utraque semper eis dabatur sacra species, nisi gravis obstaret ratio : v. g. si homines vinum ferre non possent, si diutius hæc servanda fuisset species, si teneriores essent pueri quam ut panem deglutirent et alia id genus. Contra, si talia non essent impedimenta, qui Christi accipiebant corpus, sacro quoque sanguine donabantur; etiamsi incommoda, molestiæ et difficultates superandæ essent : adeoque in infirmorum cubiculis sacra liturgia peragebatur, ut liceret eis dare non tantum ex pane eucharistico, qui

(1) Sermo XLII, de quadrag. IV, cap. V, ap. Migne, Patrologia, tom. LIV, col. 279.

(2) Migne, Patrologia, tom. LIX, col. 141.

in altari aut sacrario pro subito aut pomeridiano ægrorum usu servabatur, verum etiam sacrum eis porrigere calicem; similiter, si morbus lentus esset, nec periculum in mora positum, exspectabatur donec missa solemnis esset finita; et dein, ut ex pane, sic et ex vino consecrato deferebatur eucharistia ad ægrotos, dummodo tamen longissima non esset via. Quæ omnia Bossuetus (1) tanta doctrinæ copia explicuit, ut facile palmam eripuerit reliquis theologis et vix aliquid reliquerit addendum.

Cæterum non putem aliquem negaturum esse primis ecclesiæ sæculis communem et ordinariam disciplinam fuisse ut sacræ species non dividerentur; et si dividerentur, id numquam factum nisi magnas ob causas: unde concludi posse videtur maxime verisimile esse sanguinem eucharisticum quoque tumulis fuisse appositum, quum corpus Christi apponeretur.

(1) Traité de la communion sous les deux espèces, Opp. tom XXIII, pag. 441 et seqq. La tradition défendue sur la matière de la communion sous une espèce, tom. XXIV, pag. 3 et seqq.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

SEPULCRIS FACILE APPONI POTUISSE, VASCULIS VITREIS INCLUSUM, SANGUINEM EUCHARISTICUM, QUUM IN COEMETERIIS IN DEPOSITIONE MORTUORUM CELEBRARETUR MISSA.

Nil profecto obstabat quin vini species sepulcris apponeretur. Antiquissimis enim temporibus passim in cœmeteriis exstructæ erant ædiculæ, quæ sæpe dicebantur basilicæ : neque his sane caruerunt cœmeteria romana. Porro in antiquissimis Ordinibus sepeliendi mortuos passim id legitur præceptum : « In ecclesia » autem requiescit corpus defuncti, quoadusque pro » anima ejus missa canatur et offeratur ab omnibus » quibus fuerit visum. » Id legitur in Ordine Floriacensi

sæculi IX (1), in Pontificali Prudentii Trecensis (2), in Ordinibus Dionysiano (3), Romaracensi sæculi XI (4) et Victoriano (5), in Pontificali Salisburgensi (6), et in Ordine Gemmeticensi (7). Et quidem die depositionis, (id est sepulturæ (8), non vero mortis, ut aliqui (9) voluerunt,) pro requie defunctorum missa celebrata fuit a primis temporibus, consuetudine scilicet deducta ab apostolorum ævo, ut statuit S. Isidorus (10). Et quidem favet ei commune ex rebus universalibus sumptum argumentum; præterea quis ignorat « oblationes pro defunctis » recensitas a Tertulliano (11) inter eas res, quæ traditione, non vero scripto, ad nos pervenerunt; « sacrificium pro dormitione » memora-

(1) Martene, de Antiquis ecclesiæ ritibus, tom. III, pag. 595.

(2) Ibid. pag. 604.

(3) Ibid. pag. 606.

(4) Ibid. pag. 608.

(5) Ibid. pag. 609.

(6) Ibid. pag. 615.

(7) Ibid. pag. 625.

(8) Cfr. Mabillonii Opp. posth. tom. I, pag. 235; Morcelli, Comento sull' inscrizione sepolcrale della santa martire Agape, pag. 17 et seqq.; De Vita, Antiquit. Beneventanæ, tom. I, pag. 296 et 297; etc.

(9) Binterim, Denkwürdigkeiten, tom. VI, part. III, pag. 370 et seqq.

(10) De offic. eccl. lib. I, cap. XVIII, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXXIII, col. 757.

(11) De corona, cap. IV, ap. Migne, Patrologia, tom. II, col. 79.

tum a S. Cypriano (1); et « synaxin in Apostolorum » martyrio celebratam in exsequiis Constantini (2)? »

At plerumque, inquies, semel dumtaxat in die offerebatur primis sæculis missæ sacrificium; nec quotidie, sed semel, bis aut ter tantum in hebdomade. Re quidem vera ita est, si de publica synaxi, a solo fere episcopo celebrata, intelligas; aliter vero omnino, si de missis privatis, maxime pro infirmis et defunctis, loquaris. Ut enim baptismata privata quotidie administrabantur a presbyteris, sic quoque quotidie fiebant ab iisdem missæ privatæ; quæ ex S. Innocentio I, ad S. Victricium Rothomagensem de castitate presbyterorum scribente, comperta sunt : « Nec præterit dies, inquit (3), qua vel a » sacrificiis divinis vel a baptismatis officio vacent. » Frequentissime autem pro defunctis sacrificia divina oblata fuisse docebit Binterim (4).

Quæ quum fierent, promptum erat ut sub communionem sacra hostia seponeretur in pyxide et sanguis eucharisticus ex calice funderetur in vasculum vitreum; ut deinceps illud in pectore seu etiam una cum pyxide

(1) Epist. LXVI ad Fornitanos, ap. Migne, Patrologia, tom. IV, col. 399.

(2) Eusebius, Vita Constantini M. lib. IV, cap. LXXI, pag. 562.

(3) Ep. ad Victricium, cap. IX, num. 12, ap. Migne, Patrologia, tom. XX, col. 476.

(4) Denkwürdigkeiten, tom. IV, part. III, pag. 565 e seqq.

ad latus mortui, sanguis vero insereretur parieti aut collocaretur ad caput. Quidni enim, (quandoquidem constet sacram eucharistiam delatam fuisse ad tumulos), omnia in missis pro defunctis acta essent eo modo quo in missis pro infirmis, et proin, ut utraque species deferebatur ad infirmos vicinos, sic quoque ad vicinos mortuos portaretur?

At enim, objicies, si hæc de mortuorum vulgo admittenda videantur, nequaquam de sanctis martyribus admitti queunt, quoniam antiquissima disciplina est orandum non esse pro martyribus neque pro eorum refrigerio missæ sacrificium offerendum; atqui phialas sanguineas repertas fuisse affixas cornui sepulcrorum, in quibus veros genuinosque martyres conditos fuisse aliunde constat, ignorat nemo, diffitetur nemo. Neque ego diffitebor; sed imprimis revocabo in memoriam duplex martyrum genus esse : vindicatorum scilicet, quos approbarat episcopus; et aliorum, de quibus nullum latum fuerat judicium. Pro vindicatorum refrigerio certe non orabat ecclesia, neque nunc orat; sed ut pro aliis nunc orat, quidni similiter olim orasset? Quocirca demonstrandum foret (quod hactenus non fuisse tentatum arbitramur) genus vasorum, de quo disputamus, repertum quoque fuisse ad tumulos martyrum vindicatorum.

Et quidem, etiamsi id demonstraretur, parum tamen hinc proficerent adversarii; quum constet ad defuncto-

rum vulgarium tumulos et ad martyrum sepulcra generatim easdem cerémonias observatas fuisse, ut proin maxime verisimile sit sacram eucharistiam non minus martyrum loculis fuisse appositam quam aliorum defunctorum; consilio tamen diverso, quum illorum præcipue honorem, horum vero maxime refrigerium ecclesia cogitaret.

At in vascula vitrea et aliquando figlini operis sanguinem Christi infusum fuisse quis credat? Re quidem vera calices aurei et argentei vetustissimi sunt; sed olim quoque adhibitos fuisse vitreos, ligneos, corneos, fictiles et omnis fere materiæ centeni docuere scriptores : ex quibus satis fuerit nominasse Baronium in Martyrologio (1) et Annalibus (2), Bonam in Rebus liturgicis (3), Mabillonium in libris de Liturgia gallicana (4), Binterim in Memorabilibus ecclesiæ catholicæ (5), Binghamum in Originibus ecclesiasticis (6), Augustium in Archæologia (7) etc. Congesserunt ii plurimos ex antiquis scriptoribus locos; quorum ego hunc unum

(1) Ad VII augusti.
(2) Ad an. 216, num. XIII.
(3) Lib. I, cap. XXV, pag. 465 et seqq. edit. Antverp. 1677.
(4) Lib. I, cap. VII, ap. Migne, Patrologia, tom. LXXII, col. 148.
(5) Denkwürdigkeiten, tom. IV, part. I, p. 163 et seqq.
(6) Lib. VIII, cap. VI, tom. III, pag. 240 et 241.
(7) Handbuch der christ. archäologie, tom. III, pag. 514 et seqq.

S. Hieronymi (1), Exsuperium Tolosanum laudantis, recitabo : « Nihil illo ditius, qui corpus Domini canistro » vimineo, sanguinem portat in vitro. » Et passim, quoties urgeret paupertas aut alia necessitas, vitrea vascula aliusve vilis materiæ adhibebantur. Nec profecto exspectandum erat aurum aut argentum a fidelibus adhibitum iri, quum id in terræ visceribus condendum esset, calce et gypso obductum, neque ullius amplius futurum usus; maxime quum ecclesiæ proceres communem admitterent materiam. Cæterum singularis venerationis indicia non semper desiderantur, quum aliquando vascula sepulcralia, quæ eucharistica esse volumus, « aureo panni involucro » contecta inventa sint (2), quemadmodum (ut supra videbamus) pyxis argentea, quæ in S. Udalrici sepulcro sanguinem Domini continebat, « sacello holoserico cooperiebatur. »

Verum alii alio modo viam nostram impediunt. Statuunt enim Romæ vascula vitrea eucharistica non amplius fuisse in usu ab anno fere 226; ea tunc exclusa fuisse ab Urbano papa I; id constare ex capite XVIII concilii Triburiensis, ex Libro pontificali, ex Vitis Anastasii Bibliothecarii et ex Bollandianis, ubi SS. Ze-

(1) Epist. ad Rusticum, olim IV, nunc CXXV, num. 20. ap. Migne, Patrologia, tom. XXII, col. 1085.

(2) Aringhi, Roma subterr. lib. I, cap. XXIV, num. 7, tom. I, pag. 96.

phyrini et Urbani gesta explicant (1). Ast hæc nequaquam accurata sunt : nil simile habent Bollandiani ; Anastasius Bibliothecarius hos pontifices non attigit, nisi primam Libri pontificalis partem ei tribuere velis. In hoc autem Libro (2) narratur Zepherinus « fecisse » constitutum de ecclesia, ut patenas vitreas ante sacer- » dotes ministri portarent ; » et Urbanus « fecisse mi- » nisteria sacrata omnia argentea et patenas argenteas » viginti quinque posuisse ; » neque alia perhibet concilium Triburiense (3). Hæc autem nil commune habere cum calicibus et vasis eucharisticis, quæ non ministeria ecclesiastica essent, sed in singulorum fidelium usum facta, res manifesta est. Adde vasculis nonnullis, quæ ipsi Secchio eucharistica habentur, inscripta esse nomina SS. Laurentii, Agnetis, Damasi aliorumque (4), qui multo post Urbanum I papam obierunt.

(1) Secchi, Memoria di S. Sabiniano, pag. 40 et 41.

(2) Anastasius Biblioth. tom. I, pag 17 et 18.

(3) Labbe, Concil. tom. IX, col. 451.

(4) Buonarotti, Osservaz. sopra alcuni fragmenti di vasi antichi di vetro, tab. XVI, 2 ; XVIII, 2 et 3 ; XIX, 2 et 3 ; XX, 2.

CAPUT UNDETRIGESIMUM.

EUCHARISTIÆ MATERIAM ET VASORUM FORMAM FAVERE SENTENTIÆ QUA STATUITUR HIS SPECIEM VINI CONTENTAM FUISSE.

Multum itaque abest ut difficultates illæ sententiæ nostræ obsint; favent contra quam maxime. Idem dixerim de sequentibus.

Imprimis nonnemini forte, consideranti nunc passim vinum album in missæ sacrificio adhiberi aut memoria recolligenti, quæ S. Irenæus (1) de Marco hæretico tradit, (in synaxi sua vinum album re quadam injecta rubrum faciebat); nonnemini, inquam, color ruber, quo vascula tinguntur, mirus videbitur et parum credibile

(1) Adv. hæres. lib. I, cap. IX, pag. 70, editio Feuardentii.

faciet reapse vini speciem illis contentam fuisse. Quid ad hæc reponemus?

Vinum album in usu fuisse non negamus; sed vinum rubrum communius fuisse adhibitum censent plerique omnes. Certe Christus Dominus vinum rubrum in ultima cœna usurpasse censendus est, quum id unum ferrent paschales ritus; et postea idem fere observatum, ita ut synodi omnes commendarint usum vini rubri potius quam albi, donec S. Carolus Borromæus vinum album munditiei gratia præferendum suaserit (1).

Auxilio nobis hic sunt ipsa cœmeteria romana. Ibi enim detectæ fuerunt imagines pictæ, nunc in novum musæum archæologicum christianum translatæ, in quibus piscis mysticus seu IXΘΥΣ cernitur corbem dorso ferens, plenum phialis, liquorem rubicundum capientibus, aut iisdem phialis circumdatus : quibus picturis sacram eucharistiam referri nemo umquam negabit.

Verum, ut diximus et ut ex S. Irenæo constat, vinum album etiam usurpabatur; atque hinc explicare licet quomodo fiat ut nonnulla vasa, tumulorum parietibus inserta, nullum materiæ rubræ vestigium retineant 2 : cujus rei causam numquam aperuerunt adversarii, neque tentarunt aperire.

1. Cfr. Augusti. Handbuch der c. Archäologie, tom II, pag. 687 et seqq. Bunsenn. Denkwürdigkeiten, tom. IV, part. II, pag. 46 et seqq.

2. Cfr. Cancellieri. Diss. epist. sopra due iscriz. delle mart. Simplicia ed Orsa, pag. 45.

Bosius quidem et Aringhius, quorum verba capite III dedimus, æstimarunt hæc vasa, rubro non tincta colore, fuisse impleta aqua benedicta, quoniam Durandus, mimatensis episcopus, mortuorum depositionem explicans, scripsit (1) : « Deinde ponitur (cadaver) in spe» lunca; in qua in quibusdam locis ponitur aqua » benedicta et prunæ cum thure : aqua benedicta ne » dæmones, qui multum eam timent, ad corpus acce» dant. Solent namque desævire in corpora mortuorum; » ut, quod nequiverunt in vita, saltem post mortem » agant. Thus vero ibi ponitur etc. » Hæc, ut alia quoque multa ad verbum descripsit Durandus ex capite L libri IX Mitralis Sicardi Cremonensis; quod nunc tandem aliquando ex codice nobilissimi viri de l'Escalopier in lucem dedit R. D. Migne (2).

Et quum nunc multo accuratius quam olim investigationes fiant, ipsis oculis sæpius veteres illi ritus comperti sunt. Certe R. D. Cochet, quum, innumeris in Normannia apertis sepulcris, sæpius obvia habuisset vasa fictilia, ænea aut alius materiæ, non multum diversa a vasis sepulcralibus romanis et ad defunctorum pedes plerumque posita, æstimavit iis olim aquam benedictam contentam fuisse, dummodo christianorum

(1) Rationale divin. offic. lib. VII, cap. XXV, num. 38, fol. 279, Lugduni, 1551.

(2) Patrologia, tom. CCXIII, col. 428.

essent tumuli (1). Quibus adde sæculo V, quum Constitutiones apostolicæ jam prodiissent in publicum, in benedictione aquæ rogatum fuisse Deum ut ei impertiret δυναμιν ὑγειας ἐμποιητικην, νοσων ἀπελαστικην, δαιμονων φυγαδευτικην et πασης ἐπιβουλης διωκτικην (2); ita ut indubium sit jam antiquissimis temporibus aquam benedictam adhibitam fuisse dissolvendis dæmonum insidiis, eisque avertendis.

Verumtamen, quamvis hæc ita habeant, admittendum nequaquam videtur romanis cœmeterialibus vasculis aquam benedictam infusam fuisse : quæ enim rubro colore et quæ nullo tincta sunt, eodem consilio, eadem mente ibidem fuisse posita diffitebitur nemo, qui animo attenderit vascula ejusdem esse normæ, eodem loco et eadem ratione parietibus inserta, et nulla re inter se distingui præterquam crassamenti colore. Quocirca quum rubicunda certe non ceperint aquam benedictam, sic nec alia hunc liquorem cepisse dici possunt : quin etiam quum præter vinum eucharisticum nil aliud sit inter res christianas, quod aliquando rubrum sit, aliquando album; ideo sacratissimum sanguinem Christi illis vasis fuisse conclusum sentimus et suadere conamur.

(1) La Normandie souterraine, pag. 20, 21, 200, 201, 272.

(2) Constit. apost. lib. VIII, cap. XXIX, ap. Labbe, Concil. tom. I, col. 494.

At contigit aliquando ut, quum bene clausæ essent phialæ, materia adhuc liquida in iis inventa fuerit; et quidem duplex, lactea supernatans, rubra subsidens : quæ, quum concussione miscerentur, unum rubicundum colorem induebant (a) : hæc miraculo facta divino; similia exempla non desiderari; plurium martyrum sanguinem mutatum esse in lac.

Sane negandum non est multa martyria decorata fuisse miraculis; sed hinc non fit ut valde firma sint argumenta, quæ miraculis possibilibus potius nituntur quam ipsarum rerum observatione. Equidem, siquid occurreret quod absque miraculorum positione seu hypothesi explicare non possem, nedum id adversariis opponerem, victas darem manus.

Verum enim vero quam maxime favet assertis nostris illa mixtura, quam lactis et vini eucharistici fuisse dicimus. Atque hic in argumentum incidimus quod primus versavit Rosweydus noster (1), examinatis

(a) Ed in vero posso attestare ancor' io aver ritrovato qualche volta ne' cimeteri, ed in particolare in quello di Ciriaca alcun vaso a' sepolcri, entro di cui comparava un liquore candido come latte, il quale poi dibattendosi acquistava di nuovo il suo colore di sangue rubicondo (2).

(1) Not. 88 in S. Paulinum, ap. Migne, Patrologia, tom LXI, col. 861 et 862.

(2) Boldetti, Osservaz. pag. 137.

SS. Paulini, Hieronymi et Clementis Alexandrini verbis. Sed magis ad rem nostram facient dicta Joannis diaconi, quem Mabillonius (1) eumdem arbitratus est ac S. Gregorii biographum, Muratorius (2) vero vixisse statuit ante annum 397, quo concilium Carthaginense illum ritum abolendum sanxit. Verum, quocumque vixerit ævo, hunc in modum aperit quare in vasis sanguineis seu potius eucharisticis lactea materia aliquando inveniatur : « Quod autem quæsistis, inquit (3), » cur in sacratissimum calicem lac mittatur et mel, et » paschæ sabbato cum sacrificiis offeratur : illud in » causa est, quia scriptum est in veteri testamento et » novo populo figuraliter repromissum : Introducam » vos in terram repromissionis, terram fluentem lac et » mel. Terra ergo repromissionis terra est resurrectionis » et in illa felicitate semper permanentis, quæ nihil est » aliud quam terra corporis nostri, quæ in resurrectione » mortuorum incorruptionis pacisque gloriam consequetur. Baptizatis ergo hoc sacramenti genus offertur, » ut intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes » fiunt corporis et sanguinis Domini, terram repromissionis accipient ; cujus iter inchoantes, tamquam parvuli lacte nutriuntur et melle. »

(1) Musæum italicum, tom. I, part. II, pag. 77.

(2) De reb. liturg., cap. III, ap. Migne, Patrologia, t. LXXIV, col. 871.

(3) Musæum italicum, tom. I, part. II, pag. 75.

Neque minus nobis favet fluidus ille liquor ruber, qui aliquando ex vasculis hermetice clausis fluxit parietesque tinxit, quum incautius calce detracta rumperentur (1). Fac, colligas sanguinem effusum in terram, quemadmodum fiebat quum cæderentur martyres; colligas spongia, linteis, scutellis, cochlearibus aliove qualicumque modo : quis exspectet liquorem fluidum? Ubi res cedet quam optime, globos habebis sanguinolentos, plerumque arena mixtos, coagulatos et post breve tempus concretos. Quod crassamentum duodecim sæculis post liquidum esset, tenue, fluidum, et non secus ac sanguis recens decurreret per parietes! At miraculum est. Demonstrent prius adversarii esse sanguinem; donec enim id fecerint, nedum ponendis miraculis adjuventur, plane subvertuntur.

Et quoniam hoc loco attigimus quæ sanguinis esset conditio, quum brevi post martyrium colligeretur; lectorem rogamus enixe ut oculos conjicere velit in imagines phialarum quas capite III dedimus, et in alias quæ in libris Bosii, Aringhii, Boldettii et recentissimi Perret delineatæ aut pictæ sunt. Aliquot quidem collum habent patulum, sed pleraque angustissimum; ita ut vix aut ne vix quidem coagulatus sanguis infundi potuerit; contra quam facillime vinum eucharisticum.

(1) Aringhi, Roma subter. lib. III, cap. XXII, tom. I, pag. 298.

CAPUT TRIGESIMUM.

SENTENTIÆ NOSTRÆ FAVERE CRASSAMENTUM RUBRUM REPERTUM IN PATERIS SEPULCRALIBUS, QUARUM POTISSIMUM USUS VIDETUR FUISSE EUCHARISTICUS.

Ex his autem vasis, quæ aperta sunt et lato patescunt orificio, aliquot non casu tantum vinum eucharisticum cepisse videntur, sed ad hunc usum fictæ esse. Quæ sententia jam proposita fuit a Boldettio (1), Bianchinio (2) aliisque, et nuperius propugnata est a Joanne Petro Secchio (3). Hujus tamen argumenta non ausim probare omnia; sed quædam habet bona, quæ nefas sit

(1) Osservaz. pag. 189 et seqq.

(2) Anastasius Biblioth. in Vit. Roman. Pontif. tom. II, pag. 172.

(3) Memoria di archeol. crist. per la invenz. del corpo e pel culto di S. Sabiniano, pag. 38 et seqq.

seponere. Similiter dicere non placet illorum calicum usum fuisse unice eucharisticum, sed potius hanc præcipue eorum fuisse utilitatem et propositum finem. Quibus præmonitis, cum egregio viro instituamus iter.

Imprimis animadvertendum est priscis temporibus multis in locis fideles neque ex calice presbyterali, neque ex ministeriali speciem vini bibisse, neque calamo, fistula, arundine, syphone, suctorio aliove instrumento usos esse; sed quam proxime servasse ipsa Christi, ut a Luca (1) enarrantur, verba : *Accipite et dividite inter vos;* ita ut prius fieret divisio, quam sanguis Christi biberetur. Quæ ut suadeat Secchius, jure merito laudat quæ S. Irenæus (2) de præstigiis Marci hæretici narrat, et ex quibus manifestum est in sacra liturgia majorem calicem adhibitum fuisse a sacerdote, minores a laïcis; similiter quæ Tertullianus, ea (recensens quæ ex traditione a laicis fieri solita erant,) de sacra eucharistia immiscet : « Calicis, inquiens (3), aut panis etiam » nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. » Quibus addiderim celeberrimam inscriptionem Augustodunensem; quæ quum alibi quoque usu ventura sit, recitanda hoc loco videtur (4).

(1) Luc. xxii, 17.

(2) Adversus hæreses, lib. i. cap. ix, pag. 70.

(3) De Corona, cap. iii, ap. Migne, Patrologia, tom. II, col. 80.

(4) Dübner, ap. D. Pitra, Spicilegium Solesmense, tom. I, pag. 564.

ΙΧΘΥΟΣ . Ο[υρανιου θε]ΙΟΝ . ΓΕΝΟΣ . ΗΤΟΡΙ ΣΕΜΝ
ΧΡΗΣΕ . ΛΑΒΩ[ν πηγη]Ν . ΑΜΒΡΟΤΟΝ ΕΝ ΒΡΟΤΕΟΙς
ΘΕΣΠΕΣΙΩΝ ΥΔΑΤωΝ ΤΗΝ ΣΗΝ ΦΙΛΕ ΘΑΛΠΕΟ ΨΥΧην
ΥΔΑΣΙΝ ΑΕΝΑΟΙΣ ΠΛΟΥΤΟΛΟΤΟΥ ΣΟΦΙΗΣ
ΣΩΤΗΡΟΣ δ ΑΓΙΩΝ ΜΕΛΙΗΔΕΑ ΛαΜΒαΝ[ε βρωσιν]
ΕΣΘΙΕ ΠΙΝ [υγια]Ν ΙΧΘΥΝ ΕΧΩΝ ΠΑΛΑΜΑΙΣ.

Reliqua, quibus Christum orat Pectorius, beneprecatur patri Aschandio suisque omnibus et se demum paternæ commendat memoriæ, hiulca nimis sunt quam ut iis inhæreamus. Cæterum ea sola quæ recitavimus hoc loco sunt utilia; atque ea hunc in modum interpretamur : « Piscis cælestis divinum genus, animum » sanctum gere. Quum inter mortales immortalem » fontem divinarum aquarum acceperis, fove, amice, » animam tuam aquis æternis ditantis sapientiæ. Accipe » cibum dulcem salvatoris sanctorum. EDE, BIBE sani- » tatem [ζοην, vitam?], PISCEM HABENS IN MANIBUS. » Ex quibus ultimis verbis manifestum est fideles Augustodunenses, piscem mysticum, seu Jesum Christum Dei Filium, manibus gestasse, non minus quum sanguinem eucharisticum biberent, quam quum corpus dominicum manducarent, et eosdem proinde sanguinem sacrum minoribus excepisse calicibus seu vasculis.

In his vero parabolam boni pastoris sæpius expressam fuisse testis est Tertullianus, mœchos ad pœnitentiæ sacramentum admitti non posse adversus S. Zephyrinum contendens. Quum enim catholici præter alia

argumenta parabolam etiam boni pastoris adhiberent ad suadendum semper pœnitentiæ locum esse in ecclesia, ipse montanista adversus hæc consurgit, et : « A para- » bolis, inquit (1), licebit incipias, ubi est ovis perdita, » a Domino requisita, et humeris ejus revecta. Proce- » dant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in iis » perlucebit interpretatio pecudis, utrumne christiano » an ethnico peccatori de restitutione conliniet; » sta- tuit dein ethnicorum ibidem pœnitentiam exhiberi, nequaquam vero christianorum luxuriosorum. Concludit demum (2) : « Cederem tibi, si scriptura pastoris, quæ » sola mœchos amat (historia scilicet deutero-canonica adulteræ, quam a lapidatione liberavit Christus), » divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni » concilio ecclesiarum etiam vestrarum inter apocrypha » et falsa judicaretur, adultera et ipsa, et inde patrona » sociorum; a qua et alias initiaris; cui ille si forte » patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, pro- » stitutorem et ipsum christiani sacramenti, merito » et ebrietatis idolum et mœchiæ asilum post calicem » subsecuturæ; de quo nihil aliud bibas quam ovem » pœnitentiæ secundæ. At ego ejus pastoris scripturas » haurio qui non potest frangi... Cessatio delicti radix » est veniæ, ut venia sit pœnitentiæ fructus. » Quo

(1) De pudicitia, cap. VII, ap. Migne, Patrologia, tom. II, col. 991.
(2) Ibid. cap. X, col. 1000 et 1001.

loco luculente agitur de calicibus eucharisticis, ut vel sola exprobratio « mœchiæ post calicem subsecuturæ » demonstrat ; et quidem de vitreis, ut antithesis « qui » non potest frangi » patefacit.

At sex ex pateris vitreis, quarum effigiem edidit Buonarotius, boni pastoris parabolam exhibent ; quid ergo dubitamus quin sint eucharistici illi vitreique calices, quos tanta accuratione depinxit Tertullianus? Si autem ex iis biberunt Christi sanguinem fideles, certe non aliter sentiendum de aliis similibus pateris vitreis ; in quibus imagines pictæ sunt Christi Domini, B. M. Virginis, apostolorum aliorumque sanctorum, præcipue quorum memoria fit in missæ canone ; quin etiam nonnullæ res sumptæ ex testamento æque vetere ac novo ; et sæpe possessorum effigies et nomina.

Aliud argumentum Secchius ex singulari quadam patera ducit : « Ecce enim, inquit, in pulcherrimo » crystallino cratere, in SS. Thrasonis et Saturnini » cœmeterio reperto, legitur (1) : ΠΙΕ ΖΗΣΑΙΣ ΕΝ ΑΓΑΘΟΙΣ, » BIBE, VIVAS IN BONIS. Jam si Suiceri lexicon ad verbum » Ἀγαθος aperias, multos ibi reperies ex patribus græ- » cis locos, quibus constet το ἀγαθον passim appellari » sacram eucharistiam, et τα ἀγαθὰ ambas species. »

An tertium argumentum æque probandum sit judicabit lector : « Nonnumquam, inquit Secchius, formula

(1) Lupi, Sepulcrum Severæ, pag. 193.

» græca IIIE ZHΣAIΣ aut alia similis literis romanis scripta » est aut verbis latinis interserta; ita ut solemnis videa- » tur, ad disciplinam arcani pertinens aut sacro eccle- » siæ usu inveterata. Sic legitur PIE ZESIS aut PIE ZESES (1), » BIBE, VIVES (imo VIVAS); et cum adjectis vocabulis » latinis DIGNITAS AMICORVM PIE ZESES (2); » DIGNITAS AMICORVM PIE ZESES CVM TVIS OMNIBVS BIBE PROPINA (3) etc.

Verum neutra ratione multum moverer, nisi alia adessent adjuncta. Repertæ enim in cœmeteriis romanis pateræ, quas satis superque constat a gentilibus fuisse fabrefactas et imaginibus ethnicis ornatas, et quibus *zezes*, *vivas*, jam literis latinis inscriptum legitur, jam verbis latinis adjunctum. Ecce unius, qua amplexus parum castus Cupidinis et Psychæ exhibetur, inscriptio (4) : ANIMA DVLCIS FRVAMVR NOS SINE BILE ZEZES; ita ut acclamatio votiva *zezes* in populi romani, gentilis æque ac christiani, esset ore, sive græce, sive latine loqueretur, eodem fere modo quo sermoni vernaculo *amen*, *proficiat* et alia similia immiscemus. Præterea ut vasculis profanis aliquando inscriptum est latinum BIBE (5), sic quoque

(1) Buonarotti, Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro, tab. XXIII, 4; tab. XXII, 2.

(2) Ibid. tab. I, 3; XIX, 3.

(3) Ibid. tab. XV, 1.

(4) Ibid. tab. XXVIII, 3.

(5) Montfaucon, l'Antiquité expliquée, tom. III, part. I, tab. LXXXI, 3.

græcum PIE (1) elementis latinis. Neque vim ponere ausim in conjunctione PIE cum ZHΣAIΣ, ZHZHΣ seu ZHΣHΣ; quum non in solis sacris crateribus reperiatur; sed certe in judaicis, ut edita a Buonarotio (2) patera testis est, adscriptis verbis : ANASTASI PIE ZEZES; quin etiam in profano edito a Boldettio (3). Satius itaque fuerit hanc formulam origine profanam dicere, sed usu et applicatione factam esse etiam sacram.

Nec præpostere. Quando enim Christus Dominus se carnem suam manducandam daturum et sanguinem bibendum pollicitus est, vitæ æternæ seu spiritualis in homine conservationem fore fructum hujus convivii aperte dixit (4) : unde, nil solemnius apud patres et in liturgiis quam communicatæ et conservatæ per eucharistiam vitæ spiritualis mentio.

Si vero paulisper conjecturarum genio indulgere velis, attendas a tempore, quo populus desiit respondere « Amen » ad verba sacerdotis aut diaconi « Corpus Christi, Sanguis Christi, » dictum esse ab eucharistiæ ministro : « Corpus D. N. J. C. custodiat animam tuam » in vitam æternam; amen; Sanguis D. N. J. C. custo- » diat animam tuam in vitam æternam; amen; » aut

(1) Montfaucon, l'Antiquité expliquée, tom. III, part. I, tab. LXXXI, 5.
(2) Ibid. tab. II, 5.
(3) Osservaz. pag. 216.
(4) Jo. VI.

aliam similem adhibitam fuisse formulam; atque in omnibus occidentis regionibus hunc morem fuisse observatum. Quæ si consideraris, facile (ni fallor) consenties primis temporibus non tantum prolata fuisse verba « Corpus Christi, Sanguis Christi, » sed aliquid insuper fuisse additum, quo hujus sacramenti fructus præcipuus expirimeretur, v. g. « Manduca, vivas; Bibe, » vivas; Manduca vitam; Bibe vitam, » ut est in antiquissimo auctore (1); ἐσθιε, πινε ζωην seu ὑγιειαν, ut legendum videtur in Augustodunensi lapide; aut alia similia. Quocirca dicere non ausim a veritate prorsus alienum esse formulam πίνε, ζησαις seu potius « Bibe, vivas » sacram fuisse; sed dandum quoque eam fuisse profanam, ut paulo supra ostendebamus.

Urget aliud argumentum Secchius, videlicet sæpius illis pateris eas inscriptas esse acclamationes, quas (nisi eas de sacra eucharistia interpreteris) cum sobrietate christiana pugnare et solis Sibaritarum conviviis convenire dicas necesse est. Verum nonne nimis bene de sobrietate christianorum illius ævi sentit optimus vir? Sane S. Ambrosius non tantopere eam admirabatur, quum scripsit (2) : « Bibamus, inquiunt, pro salute impe-

(1) Albini confess. fidei, part. IV, cap. VII, ap. Migne, Patrologia, tom. CI, col. 1091.

(2) De Elia et jejunio, cap. XVII, num. 62, ap. Migne, Patrologia, tom. XIV, col. 719.

» ratorum..... Bibamus pro salute exercituum, pro » comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota » ad Deum pervenire judicant, sicut illi, qui calices » ad sepulcra martyrum deferunt, atque illic in vespe- » ram bibunt et aliter se exaudiri posse non credunt. » O stultitiam hominum qui ebrietatem sacrificium » putant, qui æstimant illos ebrietate placari qui jeju- » nio passiones sustinere didicerunt. » Neque majori admiratione tenebatur S. Augustinus; qui, quum convivia ad martyrum sepulcra tollere satagebat, non parum se impeditum sensit, quod « de basilica beati » apostoli Petri quotidianæ vinolentiæ proferebantur » exempla (1). » Et quidem, nisi hæc et similia haberemus testimonia, nonnemo arbitraretur imaginibus pictis agaparum, quas qui de Roma subterranea scripserunt non spernendo protulerunt numero, non referri convivia christianorum, sed initiatorum potius Sabasii aut Mithræ mysteriis; certe nec magis sobria sunt, nec magis honesta quam Sabasiacum epulum, quod non ita pridem edidit et explicuit Raphael Garuccius et secundum eum Arthur Martinus.

Ex hoc itaque capite nil concludi posse videtur; sed melior forte erit fortuna, si acclamationes illas et vota comparemus cum inscriptione patenæ seu disci argentei, qui olim (et forte etiamnum) servabatur in musæo

(1) Epist. xxix, ap. Migne, Patrologia, tom. XXX, col. 119.

albano et quem Justus Fontaninius explicuit (1). Ei incisa sunt hæc verba : ✝ DE· DONIS· DEI· ET· DOMNI· PETRI· VTERE· FELIX· CVM· GAVDIO; quibus constet votivum esse et ministerio ecclesiastico addictum. Unde, quum catinus non sit seu tantus qui eulogias seu oblatum a fidelibus panem caperet, omnino patena dicenda videtur, quæ in missæ sacrificio eucharisticum panem ferret.

At hæc inscriptio (si partem demas quæ ad donationem pertinet) ejusdem est generis ac plurimæ quæ in crateribus vitreis leguntur. Ecce enim : CONCORDI BIBAS IN PACE DEI (2); DIGNITAS AMICORUM. PIE ZEZES CVM TVIS OMNIBVS· BIBE ET PROPINA. — PETRVS ☧ PAVLVS (3). DIGNITAS AMICORVM· VIVAS CVM TVIS FELICITER. — CHRISTVS ISTEFANVS (4); AMACHI DVLCIS VIVAS CVM CARIS TVIS (5); VICTOR VIVAS IN NOMINE LAVRETI (6); HILARIS VIVAS CVM TVIS SEMPER· REFRIGERERIS IN PACE DEI — LAVRENTIVS ☧ CRIPRANVS (7); SALVTI PIE ZEZES CVM DONATA (8); MARTVRA EPECTETE (Epictete) VIVA· TIS. ☧ (9); MAXIMA VIVAS CVM DEXTRO (10); [N.N. CVM FILIIS ET FILIA]BVS

(1) Discus argenteus votivus veterum christianorum Perusiæ repertus. Romæ, 1727.

(2) Buonarotti, Osserv. tab. V, 1.

(3) Ibid. tab. XV, 1.

(4) Ibid. tab. XVII, 1.

(5) Ibid. tab. XIX, 1.

(6) Ibid. tab. XIX, 2.

(7) Ibid. tab. XX, 2.

(8) Ibid. tab. XXI, 2.

(9) Ibid. tab. XXI, 3

(10) Ibid. tab. XXIV, 1.

VESTRIS. P. Z. (1); ubi adverte siglas P. Z. quæ alibi (2) quoque apparent : tantopere in communi erat usu acclamatio : Pie, Zesais! Piete, Zezaite!

Has inter pateras quædam amicorum videntur esse dona, data forte in natalibus; aliæ matrimoniales; aliæ familiares; et aliæ demum funebres. Quæ distinctio, nedum obsit quin calices illi et crateres eucharistici fuerint, favet quam maxime. In funeribus enim missæ sacrificium oblatum fuisse jam diximus, idemque mysterium ordinis administrandi matrimonii partem habitam esse constat ex omnibus vetustis sacramentariis; de natalibus conjecturam tantum a nobis fieri posse fatemur, sed probabilem utique et firmam, si pristina natalium solemnitas consideretur et consuetudo substituendi ritus sacros profanis ethnicisque; demum, ut ad pateras familiares veniam, quis miretur singulas domos christianas curasse ut suam haberent pateram, qua sanguinem Domini reciperent? Sed, quod monuimus, iterum monemus, facile scilicet fieri potuisse ut illorum vasorum multiplex usus fuerit, eucharisticus nempe, agapicus, quin etiam domesticus.

Porro id genus craterum, non secus ac alia vascula, sæpius repertum est externe affixum tumulis, liquore

(1) Buonarotti, Osserv. tab. XXVI.

(2) Ibid. tab. V, 3.

rubro conspersum (1); quem alii dixere sanguinem naturalem, nos vero crassamentum vini eucharistici esse contendimus. Et quidem, si seponantur omnino alia utriusque partis argumenta et vasorum solum habeatur ratio, nonne probabilius est rubedinem illam reliquias esse istius rei, cui capiendæ destinata erant, quam alius, ad quam nequaquam erant facta? Atque ad hanc conclusionem devenire hoc capite intendebamus.

(1) Boldetti, Osservaz. pagg. 188 et 189; Bianchini, Anastasius Biblioth. tom. II, pag. 247.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

CUR ECCLESIA FACILE TOLERARE POTUERIT UT SACRA EUCHARISTIA DEFUNCTORUM CADAVERIBUS APPONERETUR.

Potuit autem eo facilius tolerare ecclesia ut sacra eucharistia defunctorum apponeretur sepulcris, quo prudentius curandum erat ut ne profani ritus ibidem peragerentur.

Gentiles scilicet cibo et potu demortuos egere non sinebant; sive ut eis honorem haberent, sive quod crederent eos aut eorum manes seu etiam deos infernos appositis dapibus vesci : quamobrem eorum tumulis aliquando lac, aliquando victimarum sanguinem, aliquando vinum aliaque id genus inferebant; quemad-

modum archæologi, qui de parentalibus et inferiis scripsere, fuse docent. Adeoque anno 1812 Populoniæ in sepulcro profano retectum est vas vitreum, mixturam sanguinis, cinerum et olei capiens, procul dubio sacrificii et inferiarum reliquias (1).

Meminit Muratorius (2) tumuli cthnici retecti Cordubæ in Hispania, in quo repertum est « vas cineris con-» tinens, cum idolo parvo et vitreo vase, ubi liquor petri-» factus; » et R. P. Secchius edidit et egregie explicuit inscriptionem vasis funebris, quod in Ceretano sepulcro inventum fuerat. A dextris procedit sinistrorsum; archaïcis literis concepta est et ad pelasgicam linguam pertinere videtur. Ecce autem istud epigramma, facilioris lectionis gratia vulgaribus literis græcis et a sinistris dextrorsum editum pro communi nostro modo (3) : MI NIKEΘYMA MI MAΘYMA PAMAIΣIAI ΘIΠYPENAI EΘE EPAI-ΣIE EΠA NAMINE ΘYNAΣTAY ΘEΛEΦY; id est : Ἐιμι νεκυθυμα, ἐιμι μηθυμα Ῥαμλισιας Τιβουρηνης, Ἐδῃ Ἐραιῳ, ἐπι ὀνοματι Δυνασταο Τηλεφου; latine : « Sum funebre suffimen, » vinum inebrians Ramlisiæ Tiburtinæ, pro Mercurio » inferno, nomine dynastæ Telephi. » Neque hæc singularia illius ritus exempla; inferiæ cæterum quotidiani erant usus.

(1) Sestini, Dissertation sur un vase antique de verre, trouvé dans un tombeau près de l'ancienne ville de Populonia, pag. 18 et 19.

(2) Antiquit. medii ævi, diss. LVIII, tom. V, col. 46.

(3) Memoria per la invenz. di S. Sabiniano, pag. 19.

Sane ut eadem eodem animo, quo a gentilibus, a christianis fieri pergerent, permittere non poterat ecclesia : verumtamen credibile est complures episcopos tolerasse ut cibi potusque imponerentur sepulcris honoris et amicitiæ testificandæ gratia : et certe sæculo IV, V et VI passim hic vigebat usus, quum adversus eum insurrrexere SS. Augustinus, Zeno Veronensis, Martinus Braccarensis, concilia græca, gallica aliaque; quorum doctrinam exhibent Gretserus (1), Spondanus (2) et reliqui qui de re funerea scripserunt; adeoque sæculo etiam XVII per multas catholicorum ecclesias in Galliis et Hispaniis mos adhuc usurpabatur ponendi super sepulcra panem et vinum, non eo quidem amplius consilio ut honor, nedum cibus, defunctis exhiberetur, sed ut in eleemosynam sacerdotum cederent (3).

Illæ tamen res periculo plenæ erant et superstitioni proximæ. Satius itaque erat ut ecclesia, quæ ritus gentiles aliis, qui sancti essent aut saltem innoxii, amavit supplere potius quam violenter tollere, concederet ut sacra eucharistia apponeretur tumulis; tum ut apertius significaretur defunctos participari et communicari eucharistico sacrificio; tum ut daretur christianis sola-

(1) De funere christiano, lib. III, cap. IV, Opp. tom. V, part. I, pag. 141.

(2) Cœmeteria sacra, pagg 312 et seqq.

(3) Ibid. pag. 314.

tium (quod S. Ambrosius sibimet quærebat quam maxime, sepulcrum suum sub altari exstruens) dormiendi et exspectandi resurrectionem non procul a corpore et sanguine Domini; quibus qui digne usi fuerint, resuscitabit Christus in novissimo die.

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

ORDINEM ET MODUM, QUO VASA SEPULCRIS AFFIXA AUT APPICTA SUNT, FAVERE SENTENTIÆ NOSTRÆ, ADVERSARI CONTRARIÆ.

Jam si oculos conjiciamus in ordinem et modum, quo vascula sepulcris affixa esse solent, ut nonnemo mirabitur hæc haberi potuisse sanguine martyrum impleta, sic facile consentiet nil obstare quin vinum eucharisticum ceperint. Effigiem eamdem, quam edidit Boldettius (1), verso folio accurate repræsentamus.

(1) Osservaz. pag. 181.



Porro secundum Boldettii et aliorum recentium interpretationem, primum vasculum, in medio quatuor cadaverum quorum capita eodem spectant positum, hæc quatuor martyrum esse sepulcra indicare censetur; secundum ad duos pertinere martyres volunt; tertium ad tres et quartum demum ad unum tantum.

Verum enimvero cujus sanguinem continebunt tres primæ ampullæ? An unius? sed quid tunc commune habent cum reliquis cadaveribus? At reliquorum sanguis colligi non potuit : nonne potuere lavari vulnera et

aqua sanguinolenta servari? An omnium simul commixtus cruor? sed quorsum hæc commixtio? an tanti constabat phiala? an in curandis martyribus tam parci erant christiani, quos in vulgaribus defunctis honorificentissime sepeliendis prodigos fuisse ex Tertulliano constat et ex Juliano Apostata? An nullius sanguinem continent? hæc nostra sententia, qui arbitramur illis phialis sanguinem Christi eucharisticum inclusum fuisse, eo delatum, quum missæ sacrificium in depositione quatuor, duorum aut trium defunctorum oblatum fuit. Supersunt id genus agendæ.

De sepulcris bisomis, trisomis seu quibus plura clauduntur cadavera et quibus phialæ quoque vitreæ affixæ sunt, statuunt adversarii hæc omnia esse martyrum corpora; quamquam sæpius constet ex epitaphiis ea uno tempore illuc non fuisse illata. Exemplum in promptu est. *Romæ apud præfectum sacrario pontificio detecta cum ampulla vitrea anno* 1786 *in cœmeterio S. Sebastiani* (1).

LENTIANVS SE VIVO
IVXTA VXOREM
SVAM FECIT ☧

Quam inscriptionem probe considerare velint adversarii; ab eis enim quærimus quando apposita illic fuerit

(1) Mai, Scriptt. vett. tom. V, pag. 386.

ampulla vitrea, quam manifestum martyrii indicium esse volunt : an post uxoris mortem, quæ prior obiit? at tunc, quum Lentianus illic suam quoque parasset sepulturam, quocumque modo moreretur, martyr aliquando censendus erat. An contra post mortem viri? at tunc uxor habenda erat martyr, etiamsi violentam mortem passa non esset, sed naturæ solvisset debitum.

Nos vero similibus nequaquam premimur angustiis. Quum enim polyandriis unum tantum affixum est vasculum, missæ sacrificium in depositione unius tantum fuisse oblatum asserimus; aut si non tantum in depositione primi, sed etiam sequentium, tunc primum vas ablatum fuisse et alia dein fuisse substituta, quum nova inferrentur corpora, in quorum depositione eucharisticum sacrificium celebratum quoque esset.

Quod autem unum vas sæpius ad plures spectat, et quod nonnumquam vasa rubro colore tincta non sunt (de qua re diximus capite XXIX), eo tandem devenire coacti fuere adversarii, ut ad synecdochen confugerent, et continens seu vas vacuum pro contento seu sanguine sepulcris sæpe appositum esse dicerent; quin etiam figuras vasorum, quæ minio nonnumquam in lateribus pictæ sunt, vasorum sanguineorum locum occupare assererent.

At similibus synecdochis, quas numquam probavit sacra reliquiarum congregatio, nos omnino non indigemus. Vasis, rubro liquore non maculatis, infusum fuisse

vinum eucharisticum album alibi jam diximus; figuras vero vasorum pictas fuisse contendimus, aut quod defunctus caupo vel pincerna fuerat, aut ut qualecumque sepulturæ signum esset.

Jam dudum scripsit Gorius (1) : « Mos imponendi » sepulcris artis instrumenta quam defunctus profite- » batur, cum apud Græcos, tum apud Romanos, usita- » tus et frequens. His quoque veterum christianorum » sepulcra insignita, quemadmodum egregium sane ac » pernobile Eutropii, ut videtur, martyris ex museo » Fabrettiano, quod ejusdem auctor exhibet; » quem morem reapse exstitisse tot exemplis certum fecit Raoul-Rochette (2), ut nullum amplius dubium superesse possit : qua de causa scyphos quoque aut alia vasa picta fuisse in martyrum tumulis testimonio est vasis seu scyphi figura, quæ in Antilochii pincernæ sepulcrali lapide cernitur et quam Perret inter marmora christiana albana edidit : ita jam pridem sensit Marinius (3) et secundum eum Raoul-Rochette (4).

Verum quamvis nonnulli arbitrentur instrumenta, quæ ad artes aut officia pertinent, semper et ubique in

(1) Inscriptt. antiq. Etruriæ, tom. I, pag. 278

(2) Nouveaux mémoires de l'Acad. des inscriptt. et belles-lettres, tom. XIII, pagg. 247 et seqq.

(3) Iscriz. Albane, num. CLXVII, pag. 189.

(4) Nouveaux mémoires, etc. tom. XIII, pagg. 263 et 264.

tumulis designare quam artem aut officium defuncti expleverint, aut saltem ad nomen referri, neque erronea hæc dicenda videatur sententia; æstimo tamen probabilius esse nonnumquam sepulcris appictas fuisse imagines sive animalium, sive rerum mechanicarum aut aliarum similium, ut iis sepulcra recognoscerentur, quemadmodum nunc signis non disparibus omnigenæ tabernæ; addito aliquando nomine, aliquando omisso. Ex Boldettio sequens hujus rei specimen edidit Muratorius (1):

NABIRA· IN PACE· ANIMA DVLCIS
QVI· BIXIT· ANNOS· P· XVI· M· V
ANIM MELEIEA· TITVLV FACTV
A PARENTES· SIGNVM· NABE
(Figura naviculæ)

Sed quoniam objici potest signum navis ad nomen Naviræ spectare, ecce alterum, similiter ex Boldettio desumptum a Muratorio (2):

ZINNVM LOCI QVINTINI ET
MARTVRIÆ (Figura rami);

ubi ramus signum est loci seu loculi Quintini et Martyriæ.

Egregie itaque irridet eos Muratorius, qui ubicumque

(1) Inscriptt. pag. MCMXIV, 8.
(2) Ibid. pag. MCMXXX.

phialam, ampullam aut quodcumque vasculum delineatum viderint, martyrii signum esse clamant; quasi nihil umquam temere et ornamenti gratia (ut sæpe nunc fit) pictum aut sculptum olim fuisset; quasi pincernarum et cauponum nomina ignota fuissent inter christianos; et quasi sepulcra non vasorum signis æque ac rerum aliarum fuissent distincta. Postquam scilicet edidit inscriptionem (1) :

LOCVS
PRIMENI ET AGNETIS
SE VIVI FECERVNT
SIBI
(Figura lagenæ.) (Figura mallei?)

continuo subjicit : « Nisi viventes hi tumulum sibi » parassent, hæc certa forent signa martyrii. At hæc » addita post eorum mortem fuerint ! »

En quo devenerunt adversarii. Quum sapientissime decrevisset sacra rituum congregatio « vas sanguine » tinctum » martyrii indicium esse, putarunt ipsi omnia rubra crassamenta materiem esse sanguineam; quum vero aliquando vasa, colore rubro non maculata, eisdem reperirent in adjunctis, in quibus vasa quæ perperam vocabant sanguinea, aut unum quod ad plures defunctos pertinere videbatur, aut etiam ad tumulos

(1) Ibid. pag. MCMXXVII.

martyrum qui igne, non effuso sanguine perierant, confugerunt ad synecdochen; et demum quum synecdoche latissime pateat et fines fere non habeat, venerunt ad imagines et delineata vasa : atque has traditiones romanas dixere, decreta sacræ congregationis : quis ferat?

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

ALIA ESSE VASA, QUIBUS VERE SANGUIS MARTYRUM INFUSUS FUIT, ATQUE HÆC A RELIQUIS PROBE DISCERNENDA.

An ergo nulla vasa sepulcralia martyrum sanguine rubricata sunt? Profecto id non dixerim. Exhibuit Boldettius (1) lagenam, quæ palea obducta fuerat et inter claudendum tumulum versa; ita ut pars liquoris effusa fuerit et collo adhæserit vasis. Hoc martyris esse sepulcrum et de hoc valere decretum congregationis rituum, quod initio recitavimus, libenter damus; et quoties similia reperientur vasa, denuo dabimus.

Neque hos inter stabimus limites, sed quoties vestes,

(1) Osservaz. pag. 185.

lintea aliaque id genus sanguine maculata esse constiterit, martyres esse continuo fatebimur; quin etiam vindicatos, maxime si vestigia dalmaticæ aut colobii purpurati supersint; quum S. Eutychianus papa, ut ex Libro pontificali (1) novimus, « constituerit ut quicumque fidelium martyrem sepeliret sine dalmatica aut » colobio purpurato nulla ratione sepeliret. »

Abest itaque multumque abest ut inanem aut falsam faciamus sacræ congregationis legem; hanc veneramur, hanc sanctam habemus et haberi volumus. Optimis enim argumentis ostenderunt archæologi sanguinem martyrum collectum fuisse sæpius linteis, vestibus, spongiis; gypso aliquando; interdum vitreis vasis; hæc pignora jam sibi servasse fideles, jam intulisse tumulis; nonnumquam sepultos esse martyres in sanguinolentis sindonibus, et id genus alia. Hæc recta et certissima et a nemine impugnanda. Neque adversum hæc in universo hoc commentario aliquid hiscere meminimus, et, si excidisset, deletum volumus.

De illis itaque rebus nequaquam dubitamus; et ut hæc candide profitemur, sic quoque aperte declaramus nos persuasum habere figuras vasorum non esse martyrii indicia; vasa, quæ sepulcris bisomis, trisomis, polyandriis aut ad verticem plurium defunctorum posita reperiuntur, signa non esse eos omnes pro fide profu-

(1) Bianchini, Anastasius biblioth. tom. II, pagg. 240 et 244.

disse sanguinem et vitam; quin etiam eis, quæ exterius uni tantum affixa sunt sepulcro et alia ejusdem generis quæ interius deteguntur, martyrium non significari : et demum hæc nostra asserta firma fore, donec ostensum fuerit quintam martyrum partem septennium non excessisse et post Constantini tempora plures pro Christo fuisse necatos quam priusquam pientissimus ille imperator cruci dominicæ triumphum parasset. Hæc summa disputationis nostræ; hic universæ præsentis scriptionis scopus et finis; quæ reliqua per hunc librum sparsa sunt, accessiones sunt et appendices, quas improbare licet et rejicere, quin præcipuo atque unico fere nostro consilio damnum aliquod et detrimentum inferatur. Sparsim hæc monuimus, juverit ad calcem iterum monuisse.

Et quum nunc ad metam veni, atque omnia quæ literis mandavi iterum mente recogito, unius rei me anxium esse fatebor. Initio dixi me ignorare atque etiamnum ignoro quibus hic meus destinatus sit labor, ita ut mirandum mihi non foret si in manus veniret virorum (ingenia enim tam varia sunt),qui id observationum genus, etiamsi eas verissimas habeant, a qualiquali scriptore fieri non ferant et qui proin omnia in deteriorem partem interpretentur, hæreses etiam aliaque similia monstra cernentes, ubi nil tamen dictum quod apprime orthodoxum non sit. Cui ego malo, quum id non in meo libro, sed in eorum oculo sit, me-

deri nequeo; potis tantum protestari me Dei gratia esse christianum docilemque ecclesiæ catholicæ filium; cujus honorem etiam sanguine meo vindicatum velim. Omnia itaque mea dicta secundum ecclesiæ doctrinam intelligenda sunt, et potissimum ea loca, in quibus statui vasis sepulcralibus non sanguinem martyrum, sed sanguinem Christi eucharisticum olim contentum fuisse videri. Quum enim hæc continuo opponenda essent, variis verborum formis usus fui : quarum una est vasa sepulcralia *non esse sanguinea;* alia, ea vasa *tincta non esse crassamento aut reliquiis sanguinis*, sed vini eucharistici; et sic deinceps. Verum his aliisque id genus dictionibus nil indicare volui quod cum sincera Christi ejusque ecclesiæ doctrina non conveniat. Videlicet, quum, peracta consecratione, substantia vini conversa est in substantiam sanguinis, hæc dein per vim theandricam species seu accidentia vini sustentat. Species itaque eæ seu accidentia vini nequaquam mutata sunt, sed contra manent eadem quæ ante; ita ut alterari possint et corrumpi, non secus ac ante consecrationem. Porro quum actione aliqua externa corrumpuntur et alterantur, neque amplius vini species et accidentia sunt, sed alius rei; tunc desinit Christi sanguis adesse, quoniam eucharistiæ sacramentum in composito consistit, quod est corpus Christi sub specie panis et sanguis Christi sub specie vini; succedit vero substantia, quæ adfuisset, si species vini non consecrati

eadem illa actione externa fuisset corrupta aut mutata; adeoque nova illa substantia nil cum sanguine commune habet, quæ quippe constet ex elementis vini chemicis, novo inter se modo et cum adventitiis vaporibus concretis. Negavimus itaque vasa sepulcralia esse sanguinea aut crassamento sanguinis esse maculata : non quod ea verum sanguinem non continuerunt; sed quod reliquiæ rubræ, quæ in iisdem adspiciuntur, ex sanguinis elementis non constent, sed vini. Nil aliud animum meum angit; aut, siquid sit, Deo committo.

INDEX CAPITUM.

Monitum. 5

Caput primum. De causis et ratione hujus opusculi. . . . 7

Caput ii. Decretum S. C. de martyribus cœmeterialibus violatum non iri hoc opusculo. 12

Caput iii. Jam pridem gravissimos viros dubitasse an vasa quæ dicantur sanguinea reapse sanguinem naturalem continuerint. 17

Caput iv. Ab aliis minui, ab aliis mirum in modum exaggerari martyrum numerum. 31

Caput v. Omnia fere martyrum corpora e cœmeteriis extracta fuisse a Paulo I, Paschali I et decessoribus. 39

Caput vi. A Paschalis I temporibus usque ad exiens sæculum XVI pauca sanctorum corpora in cœmeteriis reperta. . . . 50

Caput vii. Quintam partem eorum, quorum tumuli ornantur vasis sepulcralibus, septennio minores esse. 56

Caput viii. Credi non posse quintam martyrum partem septennio fuisse minores. 66

Caput ix. Propter Romanorum in pueros humanitatem credi non posse tot umquam fuisse tenellulæ ætatis martyres. . . . 74

Caput x. Per consuetudinem Romanis propriam credi non posse pueros magno numero fuisse occisos. 80

Caput xi. Quoniam virgines prius vulgo vitiarentur quam necarentur, credibile non esse multas puellulas fuisse martyres. . 83

Caput xii. Parum probabiles esse modos, quibus pueri dicuntur fecisse Romæ martyrium. 99

Caput xiii. De vi argumenti ducti ex vasis, quæ dicta sunt sanguinea et diu post Constantini victoriam sepulcris fuere apposita. 109

Caput xiv. Vasa, dicta sanguinea, pluribus sepulcris apposita fuisse post Constantini victoriam, quum summa pax vigeret. 114

Caput xv. Quod post Constantini victoriam alibi fuerint martyres, ideo verisimile non fieri Romæ etiam fuisse. 125

Caput xvi. Mirum in modum exaggerari vires idololatrarum Romæ ad finem sæculi quarti. 132

Caput xvii. Vasa sepulcralia multo frequentius reperiri ad tumulos post Constantini ævum positos quam ante. 142

Caput xviii. Multis tumulis inscriptum esse Christi monogramma: quod doctissimis viris primum a Constantino inductum fuisse videri. 146

Caput xix. Certis argumentis nondum demonstratum esse antiquitatem monogrammatis; quocirca asseri non posse tumulos, chrisimo et vasculo simul sepulcrali ornatos, Constantino imp. esse antiquiores. 152

Caput xx. Temere appellari ad traditionem, ut ostendatur vasa sepulcralia solis martyrum tumulis fuisse apposita. . . . 164

Caput xxi. Frustra, traditionem et præscriptionem adhiberi ad statuendum vasis sepulcralibus indicari martyria. 172

Caput xxii. Experientia non constare vasa sepulcralia martyrii indicia esse. 177

Caput xxiii. Olim martyrum sepulcra discreta non fuisse vasis sepulcralibus. 182
Caput xxiv. Vasa, quibus vox SANGVIS inscripta est, et alia singularia monumenta, detecta a Crescentio, esse totidem fictiones. 188
Caput xxv. Experimentum chemicum Leibnitzii nullius esse auctoritatis. 201
Caput xxvi. Vasis sepulcralibus vinum eucharisticum contentum fuisse videri. 207
Caput xxvii. Olim sacram eucharistiam, etiam sub specie vini, sepulcris appositam fuisse. 210
Caput xxviii. Sepulcris facile apponi potuisse, vasculis vitreis inclusum, sanguinem eucharisticum, quum in cœmeteriis in depositione mortuorum celebraretur missa. 217
Caput xxix. Eucharistiæ materiam et vasorum formam favere sententiæ, qua statuitur his speciem vini contentam fuisse. . 224
Caput xxx. Sententiæ nostræ favere crassamentum rubrum repertum in pateris sepulcralibus, quarum potissimum usus videtur fuisse eucharisticus. 231
Caput xxxi. Cur ecclesia facile tolerare potuerit ut sacra eucharistia defunctorum cadaveribus apponeretur. 243
Caput xxxii. Ordinem et modum, quo vasa sepulcris affixa aut appicta sunt, favere sententiæ nostræ, adversari contrariæ. 247
Caput xxxiii. Alia esse vasa, quibus vere sanguis martyrum infusus fuit, atque hæc a reliquis probe discernenda. . . 255

FINIS.

50381